# HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ IMPENSÆ IN EVANGELIUM SANCTI MARCI.

Præmittitur

DECAS Chorographica

Loca nonnulla terræ Iſraeliticæ Perluſtrans,

Ea præſertim quorum mentio apud

S. MARCUM.

CANTABRIGIÆ,

Excudebat *Johannes Field*, celeberrimæ Academiæ Typographus.

Proſtant apud *Thomam Danks* Bibliopolam. 1663.

*Pretium Libelli Schedis non conſutis, 1s.--6d.*

DEO ſacrum, & REGI,

Extruendum eſt

ALTARE

Hîc ante veſtibulum, atque offerenda χειροτέχνια.

Ob otia hæc literaria, Muſas ſervatas,

Et me meóſque ruina imminenti ereptos,

JEHOVÆ Liberatori, & ſoſpitanti CÆSARI.

Quæ Cæſaris Cæſari, quæ Dei Deo.

ADes viator; atque adſta ſacrificanti unâ, & rem meam enarratam audiens, votis tuis mea adjuva, ſacra promove, atque eadem Numina mecum venerare.

Miſericordiam Dei cano, & clementiam Regis, per quas ſervatus ego, ut naufragium non facerem, cùm jam equidem naufragium feciſſem, & nè ædibus pellerer, cùm jam quidem forem pulſus.

Rectoria hæc *Mundoniæ magnæ*, quâ jam a viginti ferè annis retrò, ego fruor, ad Regiam Donationem Conceſſionemque ſpectat, *pleno*, quod aiunt, *jure*. Iſto jure, diſpoſiti hîc antehac à duobus Regibus, fuerunt duo Rectores, eximii nominis, meritorum non vulgarium, & quibus pares peperererunt ſua tempora, non multos. A Sereniſſimo Rege *Jacobo* celeberrimus *Georgius Downhamus* S.T.D. qui hinc promotus, & tralatus eſt ad Epiſcopatum *Durienſem* in *Hibernia*. Atque ei recedenti, à ſereniſſimo Rege *Carolo* ſucceſſor datus, vir egregius *Samuel Wardus* S.T.D. Collegii *Sidneio-*

*Suſſexienſis*, in Alma Academia *Cantabrigienſi* Præfectus, idemque in eadem Academia Dominæ *Margaretæ* Profeſſor graviſſimus doctiſſimúsque: Huic fatis concedenti ſucceſſi hîc ego, tantis viris, eheu quam longè diſpar, & infœlix æquè, quòd non eodem jure huc admiſſus, ſed eâ quæ tunc occupaverat omnia, graſſantibus bellis, poteſtate. Non latuit fragilitas fundationis hujus meæ infirmæ, quin quòd, cùm ad jura ſua, felici numine, nutuque, rediret Regia Majeſtas, qua nunc lætamur, citò deprehenderetur, & ſupplicanti cuidam, conceſſa eſt hæc Rectoria, Regali donatione.

Sic naufragamur ego & fortuna mea, & de rebus meis adeo eſt conclamatum, ut nihil aliud mihi jam reſtet, quàm ut ex ædibus & ſedibus hiſce quietis emigrem, in quibus per tot annos ſumma cum complacentia, & dulciſſimo otio literario Muſis litaveram. Aſt erat & aliud, quod acriùs punxit, nempè quòd videre mihi viderer, Regiam Majeſtatem mihi indignantem, frontemque iſtam ſuaviſſima ſerenitate aliis, affulgentem, mihi obnubilatam, corrugatam, triſtem: & bis perire certè eſt, perire irato Rege.

Quid hîc agendum ita coarctato? Sperare non datur, cùm contra me fatale Chirographum ſit jam obſignatum; Deſperare, eſt proprio infortunio ſubſcribere, eſt Regiæ clementiæ derogare, eſt certæ ruinæ ſuccumbere, ſub incerta ſuſpicione. Forſan non indignatur Rex clementiſſimus omnino, nàm aquilæ non indignantur muſcis. Forſan nec ſerum nimis eſt, nec inane prorſus, remedium vulneri meo quærere, non adhuc immedicabili, nam non proceſſerat adhuc fatale decretum ultra revocationem. Forſan cauſa mea, Regi optimo, vel eſt prorſus ignota, vel injuſta aliqua querela decolorata, & ſolatio eſt quod apud *Regem* res mea ſit agenda, non apud vulgarem.

Ad aras igitur Clementiæ ejus, humiliter confugio, ſummiſſa ſupplicatione orans obteſtánsque, cauſam meam recognoſcat

noſcat, edictum exitiale reſcindat, & ſtationem meam hoc in loco continuare, & ſtabilire dignetur. Accipe nunc Regis tui ſpecimen, O *Anglia*, & exemplo vel hoc uno diſce, quali Principe glorieris. Excepit ſupplicationem Pater Patriæ ſemper *Auguſtus*, fronte ſerena, votis arriſit, Donationem ſuam mihi indulſit, eam ſigillo Magno ſanxit, & [quod aureis & immortalibus literis ſcriptum velim ] curâ ſedulâ & quaſi paternâ, ſollicitè providit, nè ulterius quoquam modo in meum periculum & ruinam procederetur.

O quàm te memorem Principum optime, *Auguſtiſsime Carole*, O quam te memorem! Quibuſnam vel elogiis, vel eloquiis, tantam Clementiam, Commiſerationem, Bonitatem, vel celebrem vel enuntiem! Leves ſunt iſtæ obligationes quæ loquuntur, hæ meæ ſtupent, ſilent & admiratione abſorbentur. Vulgarium eſt beneficia exhibere æqualia verbis, *CAROLI* eſt, obligare ſupra omnem elocutionem.

Addam & aliud, viator, quod & addidit eadem clementia bonitâſque. Cûm enim eandem quam ruri paſſus fueram fortunam, metuerem etiam in Academia, confugeremque iterum ad eaſdem aras, exaudiit Regia benignitas, annuit ſupplicanti, vota rata dimiſit, & ſtationem meam iſthic etiam firmavit, & ſtabilivit.

Verbo omnia, quæ quidem excedunt omnia verba. Quamvis obſcurus ego & nullius nominis, indignus prorſus & nullius meriti, ignotus penitus Regiæ Majeſti, & onuſtus forſan neſcio quibus querelis [ nam querela non caruit quod hiſce in ſedibus ea authoritate diſpoſitus fuerim, qua diſpoſitus fui. ] Bis tamen intra binas ſeptimanas, ex gratia Regali Conceſſionem ejus obtinui, manu ſua & magno ſigillo *Angliæ* ſancitam. Atque ita hîc eradicatum, me replantavit, alibi eradicandum ſervavit, periculo eripuit, metu liberavit: ità ut jam, æquè ac anteceſſores mei illi digniſſimi, habeam, quo glorier, *Patrono Rege*.

Aſt

Aſt abſit à me, longè abſit à me indigniſſimo, gloriari: Laudi ſolùm tuæ cedunt hæc omnia, cedántque ſemper *Auguſte Clementiſsime*: Glorietur potiùs *Anglia* tali Principe, glorietur Princeps tali clementia. Triumpha *Cæſar*, triumpha, magnanimitate iſta tua jure meritóque. *Carolus* es, atque omnes, miſerendo, liberando, donando, condonando vincis, devincis omnes.

Devinctionem ego iſtam agniturus, omni cum humilitate & gratiarum actione ſemper: & tu parve libelle, vóſque leves ſchedulæ, ubicunque volitaveritis, hoc ubique, omnibúſque meo nomine enuntiate. Ut quamvis nihil aliud apud vos ſit dignum quod legatur, hæc tamen profeſſio ſincerâ mea legatur audiatúrque, quod poſt miſericordiam Divinam, Regali debeo, quòd otio fruor hoc dulci literario, quòd ſedibus hiſce quietis, quòd re familiari, quòd meipſo.

Sic Tibi, O Patriæ Pater, retribuat Pater miſericordiarum, ſeptuplum & ſeptuagies ſeptuplum in ſinum tuum, & ſentias indies beneficium ſuavitatémque benefaciendi, remuneratione cœli. Sic palmam ferat ſemper, clementia tua, & fructum ferat ſemper, favorem æternum Clementiæ Divinæ. Sic coronetur *Anglia* quàm diutiſsimè ſuo Rege, & Rex coronetur in ſempiternum, Dei amore, protectione, benedictione, gratiâ, gloriâ.

*Vovi Calend. Januar. 1661.*

Reve-

# REVERENDO
## IN CHRISTO PATRI
## Dno GILBERTO
### Providentiâ Divinâ EPISCOPO
## LONDINENSI.

IN manus Sacerdotis tradendum ex lege erat ſacrificium, atque ab eo offerendum: Cúmque dignatæ ſint tuæ Venerande Præſul, Εὐκτικὰ mea Regiæ Majeſtati offerre, ſupplico jam humiliter, ut dignentur etiam offerre χαριστήρια.

Primitias fero replantationis meæ, quam mihi indulſit Regalis gratia, intercedente Dignatione tua, cùm jam forem eradicatus: nam per gratiam iſtam, ſedibus hiſce redditus & quieti, & muſis meis, nihil jam ampliùs magiſve in votis habeo, quàm ut ſentiat Princeps excellentiſsimus, à ſe non eße ingrato benefactum, utcúnque indigno, utcunque ignoto: & Dignitas tua, ab ea non pro immemori eſſe interceſſum, utcúnque pro immerenti.

Nunquam dilabetur mihi, vir Ampliſsime, quanta cum comitate & candore exceperit me Dignitas & Dignatio tua in meis auguſtiis, ignotum penitus, à facie & nunquam antea viſum: quanto cum ardore cauſæ meæ fuerit patrocinata, apud Regiam Majeſtatem, apud Honoratiſsimum Angliæ Cancellarium, apud Reverendum Diœceſanum: qualiter pro me conſuluerit, literas ſcripſerit, obicem poſuerit, ne procederet ruina mea ultra reſtaurationem: Quæ omnia dum recognoſco, quod

facio

*facio ſemper, dúmque cum recognitione iſta ſubit hinc obligatio mea, illinc mea tenuitas, hinc quàm ego tanto favore indignus, illinc quàm retributioni omnino impar, quid mihi aliud eſt reliquum, niſi ut ad eandem Humanitatem iterum confugiam, humiliter implorans, ut quæ me ignotum tam comiter excepit, & tam indignum, excipiat etiam jam tanta obligatione notum, devinctum, & quas poſſum, maximas gratias agentem? Eas Amplitudini tuæ referendas commiſi hiſce chartulis: indoctis quidem atque impolitis, at quæ ſinceritatem ſecum ferunt quamvis non eruditionem, gratitudinem quamvis non elocutionem: Atque hoc ego illis munus demandavi eo magis, quòd eas longè latéque divagaturas puto & forſan ad poſteros etiam victuras, atque omnibus enuntiatum ab iis cupio, quantum Amplitudini & ſummæ tuæ Humanitati debeat, quantis obligationibus ab ea aſtrictus teneatur, quámque animo grato atque intimo affectu omnia hæc profiteatur, ac ſit agniturus in perpetuum*

Venerande Antiſtes

Amplitudinis tuæ

Cliens devinctiſſimus

JOHAN. LIGHTFOOT.

# DECAS CHOROGRAPHICA,

## Loca quædam terræ Iſraeliticæ perluſtrans.

### Ea præſertim quorum mentio apud S. *MARCUM.*

CUM mentionem habeat Evangeliſta hic noſter, quem tractandum ſuſcepimus, locorum quorundam in *Canaanitidi*, quorum ſitus eſt obſcurior, & à vulgari notitia remotior aliquantum, penſo meo non adeſſe viderer, ſi iſta inſalutata præterirem, & non aliquâ illuſtratione, quantum in me eſt, elucidarem: quod hîc in ipſo limine facere, duxi congruentiſſimum, partim ne interſertione harum diſſertationum, filum commentationis, qualis qualis ea eſt, nimis abrumperetur, partimque ut idem hic facerem, quod feci ante animadverſiones meas ad S. *Matthæum.*

Loca quæ hic tractantur, hæc ſunt.

I. *Idumæa*, Marc. iii. 8.
II. Ἔρημος. i. 4.
III. Ταζοφυλάκιον. xii 41.

IV. Ἡ κώμη ἡ καπέναλι. xi.2.
V. *Dalmanutha.* viii.10.
VI. Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος. vii.24.
VII. *Regio Decapolitana.* vii.31.

Atque ut compleatur *Decas*, adduntur

VIII. *Emensurationes quædam.*
IX. *Loca nonnulla sparsim notata.*
X. *De aliquibus terræ incolis.*

Quòd in loca alia exspatiatus fuerim, præterea apud *Evangelistam*, lectoris gratiâ id feci; cui non ingratum futurum spero, talia audiri, quæ vel secum utilitatem aliquam ferunt, vel jucunditatem, vel saltem quæ non vulgò audiuntur.

---

## CAP. I.

*I Idumæa. II De Pelusio pauca. III Casiotis* כס־יה Exo. xvii.16. *IV Rhinocorura. Arabs notatus. V Avæorum regio, pars novæ Idumææ. VI Tota Simeonitis, intra Idumæam. VII Tota regio Australis Judææ, intra Idumæam. VIII De Palæstina salutari.*

### §.I. *Idumæa.* Marc.iii.8.

ERat cùm distinctæ non solùm, forent, *terra Israelitica* & *Idumæa*, sed muro quasi ferreo disjunctæ armorum & hostilitatis; at irrepsit, nescio quonam modo, *Idumæa* tandem in *Judæam*: etiam vix relicto nomine suo domi, sed absorpto eo, in *Arabia.*

Vera erant quæ *Plinius* dicit, isto tempore quo ea dice-
*Nat. hist. lib.5.ca.12.* ret, *Arabia finitur a Pelusio Lxv. M. pass. Mox incipit Idumæa, & Palæstina ab emersu Sirbonis lacus.* At falleris, O

Secunde,

*Secunde*, dicerent ſæcula vetuſtiora, Nam *Idumæa* finitur a *Peluſio*, Lxv. M. paſs. Mox incipit *Palæſtina* ab emerſu *Sirbonis*.

*Straboni* debemus, quod rationem tranſmigrationis & gentis, & nominis novimus. Nam ſic ille.

Τῆς Ἰουδαίας τὰ μὲν ἑσπέρια ἄκρα, τὰ πρὸς τῷ Κασίῳ, κατέχουσιν Ἰδουμαῖοί τε καὶ λίμνη. Ναβαλαῖοι δ' εἰσὶν οἱ Ἰδουμαῖοι· κατὰ στάσιν δὲ ἀναστάντες ἐκεῖθεν, προσεχώρησαν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ τῶν νομίμων ἦλθον αὐτοῖς ἐκείνοις ἐκοινώνησαν. *Strab. Geog. lib. 16.*

*Judææ extrema occidentalia, Caſio proxima, Idumæi occupant & lacus* [ *Sirbonis*; ] *Idumæi quidem Nabatæi ſunt: Per ſeditionem autem inde ejecti, Judæis ſe adjunxerunt, & leges eorum amplexi ſunt.*

Omnibus notum eſt, quænam fuerit terra *Edom* vel *Idumæa* apud paginas ſacras, veteris Teſtamenti: at non eadem, paginis novi. Et ſi nomen ſuum retinuerit vetus illa [ quod vix fecit quin abſorptum foret ſub nomine *Arabiæ*] diſtinctivè tunc nuncupata eſt Ἰδουμαία μικρὰ· *Idumæa minor*, vel *nova*, eſt ea quam quærimus, & de qua Sanctus *Marcus*, pars ſcilicet non parva *Judææ*; ſic nuncupata, vel à vicinitate ad *Idumæam* propriè ſic dictam, vel potius ob *Idumæos* eò tranſmigrantes, & eam occupantes, & proſelytos factos legi & moribus Judæorum. Talis erat *Herodes Aſcalonita*. Cum ergo dicitur ab Evangeliſta; *Quod Ieſum ſequuta eſt multitudo magna, à Galilæa, & à Judæa & Hieroſolymis, & ab Idumæa*; vel de Judæis loquitur, iſtam partem *Judææ* incolentibus, quæ tunc temporis *Idumæa* audiit, vel ſaltem de *Idumæis* qui eam habitârunt, tralati jam in religionem Judæorum. De regione, jam ſub iſto nomine comprehensâ, dicemus illico, prementes antea veſtigia *Plinii* paululum, à loco quo ille progreſſionem ſuam orditur, nempe à *Peluſio*. *Joſ. de bell. lib. 4. ca. 30.*

## §. II. *De Peluſio pauca.*

APud *Ezek.* xxx. 15, 16. סין *Sin* interpreti vulgari eſt *Peluſium*: quem ibi ſequitur *Latinus* interpres *Chaldæi Paraphraſtæ*. Nec immerito. Nam סין & טין Chaldæis eſt *Lutum*. Vide Targ. in Eſai. lvii. 21. Et *Pithom* & *Raamſes* [ Exod. i. 11. ] Targumiſtis *Hieroſ.* & *Jonath.* ſunt תנים ופילוסין *Tanis & Peluſium*: Inde *oſtia Nili Taniticum*, & *Peluſiacum* apud *Ptolemæum* & tabulas. Jam verò regionem, aut locum iſtum, quem Syri & Chaldæi vocarunt סין id eſt *lutoſum*, Græci *Peluſium* vocârunt, à Πηλὸς *lutum*. Et *Tanis* à טין derivari quis non videt?

Et hic in gratiam tironum animadvertere liceat *Peluſium* apud Talmudicos vocari קפוטקיא, quam quis non illico interpretaretur *Cappadociam*?

*Chetub. fol.* 110. 2. & 120. 2.

נשא בקפוטקיא וגירשה בקפוטקיא נותן לה מעות קפוטקיא: Nonne quiſpiam ſic redderet? *Si uxorem ducat in Cappadocia, eamque dimittat in Cappadocia, det ei nummum Cappadociæ.* Aſt audi *Rambamum* in locum קפוטקיא inquit ille, *eſt Caphtor, vocaturque ab Arabibus* דמיאט *Damiata*: quam eandem eſſe cum *Peluſio* omnes nôrunt.

Hinc *Targ. Hieroſ.* & *Jonath.* & interpres Syrus in *Gen.* x. 14. pro כפתורים legunt קפורקאי, aſt Arabs, *Damiatenes*. Et LXX in *Deut.* ii. 23. pro *Caphtorim exeuntes è Caphtor*, habent οἱ Καππάδοκες ἐξελθόντες ἐκ Καππαδοκίας.

*Targ. in Hierom.* xlvii. 4. pro שאריתא כפתור, habet שאר נגורת קפוטקאי ubi Kimchius. *R. Saadias interpretatur Caphtor* דמיטא *Damiata*.

*Bab. bathr. fol.* 58. 2. כתיב אפיתחא דקפוטקיא אנפק אנבא אנטל: *Inſcribebantur portæ Peluſii hæc verba: Aupak* &c. Quæ nomina erant quarundam menſurarum, ut innoteſceret omnibus ſecundùm iſtam menſuram emendum ac vendendum eſſe.

§. III.

## §. III. *Caſiotis.*

PErgimus jam à *Peluſio* ad montem *Caſium*, ſic Plinius. *A Peluſio Chabriæ caſtra. Caſius mons. Dilubrum Jovis Caſii. Tumulus magni Pompeii*, &c. *De chabria vid. Diod: Sic. pag. mihi 347.*

Diſtabat *Caſius à Peluſio* circiter C C C. ſtad. [ *Antonino* xl M. paſſ ] *Sirbonisque* à *Caſio* xxviii M. paſ: ſic exurgunt Plinii lxv M. paſſ. à *Peluſio ad finitam Arabiam.* *Strabo ubi ante.*

*Caſius* Ptolomæo ſcribitur Κάσιον & Κασιώτης, *ſigma* duplicato, ſic etiam *Dioni Caſſio*, qui hanc addit hiſtoriam. *Tabbi Aſiæ cap 5. Dion. Caſſ. lib. 42.*

*Pompeius ad montem Caſium interiit, ea ipſa die qua quondam de Mithridate & piratis triumphaverat:* Καὶ ἐκ πάντας τὸς πολίτας τὸς Κασίους ὑπὸ χειμῶ πρὸς ὑποπτεύσας, &c. *Quumque omnes cives de gente Caſia, ex oraculo quodam ſuſpectos habuiſſet, à nemine Caſsio inſidiis petitus eſt, ſed ad montem ejuſdem nominis, & cæſus eſt, & tumulatus.*

Torquent interpretes, verba iſta *Moſis Exod.* xvii. 16. יד על כס־יה: Alxx reddita Ἐν χειρὶ κυρείαι πολεμεῖ Κύριος ab aliis omnibus fere verſionibus, in hunc ſenſum, *Manus ſuper ſolium Domini.* Sic Samarit: Syr. Arab. vulg: & Rabbini, i. e. *Deus juravit.*

Quid ſi כס־יה ſit *Caſiotis?* Nam erat regio iſta, regio *Edomæorum*, ſpeciatim vere *Amalechitarum*, de quibus agit *Moſes* in iſta hiſtoria. Audacter nimis, nolumus à communi omnium ſuffragio recedere, ac modeſtè humiliterque hanc conjecturam proponimus: Quæ ſi obtineat, abſque omni ſcrupulo & nodo ſic ibi reddi poſſunt verba in hunc ſenſum, *Manus Domini eſt contra Caſiotim* [ regionem Amalechitarum, nam ] *Bellum eſt Domino cum Amalecho à ſæculo in ſæculum.*

## §. IV. *Rhinocorura. Arabs notatus.*

PErvenimus jam ad fluvium *Sichor*: *Fluvium Ægypti*, dictum, non quod intra ditiones *Ægyptiacas*

*ptiacas* foret, ſed quod *Judæis* foret limes verſus *Ægyptum*. Ibi olim *Rhinocorura* unde lxx in *Eſai* xxvii. 12. עד נחל מצרים *uſque ad fluvium Ægypti* reddunt Εως Ρινοκορέρων. Eos imitatum arbitror interpretem *Arabem*, & primitùs ſcripſiſſe כורה *Corura*, aſt irrepſiſſe tandem punctulum in literam ultimam, atque ita eam ab *r* in *n* mutatam, ita ut jam legamus כורן Interpret. Lat. *Coronis*.

§ V. *Avæorum regio: pars nova Idumææ.*

TRanſito fluvio, intramus in *Idumæam novam*, regionem olim *Avæorum*. *Hazerim* paginæ ſacræ *Deu.* 11. 24. Interpretibus Orientalibus *Raphiam*. Plin. *Rhinocorura & intus Raphia* Shur etiam aliquando paginæ ſacræ, atque pro eâ, illis *Chagra*. Unde *montis Angaris* nomen, de quo Plin. *Gaza & intus Anthedon Mons Angaris*. Nam dum Syri *Chaggara* pronunciarent, Græci duplex *Gamma* per *n. g.* efferrent & dicerent *Angara*.

Shur etiam ab orientalibus aliquando redditur חלוצה *Chaluzzah* ut *Targ. Hieroſ.* in *Gen.* xvi. 7. & *Jonath:* in *Exod.* xv. 22. Arabs *Gerarim* ita reddit. *Gen.* xx. 1. & Jonath. *Bared*, *Gen.* xvi. 14. *Bared* quidem quæ *grandinem* ſignificat, *Græce* reddis χάλαζα: atque an Targumiſtæ Græco vocabulo utantur cum reddunt *Chaluzah*, judicet lector.

Shur, interpreti Syro aliquando eſt שור Sud ut *Exod.* xv. 22. puncto notificativo in litera ultima male diſpoſito, in *Gen.* xvi. 7. Shur & 14. *Bared* ab eo redduntur *Gedar* pro *Gerar* eodem errore. *Bared* Arabi, ibi eſt *Fared* duobus punctulis ſub litera prima, pro uno tantum ſubjectis.

Finiebatur *Avæorum* regio, quocunque eam nomine nuncapaveris ad *Gazam*: protenſa illuc longitudine, à *fluvio Ægypti* xliv. M. paſſ. At non ibi terminabatur *Idumæa*, quàm quærimus, verùm exporrigebatur ea ulterius in *Judæam*

*dæam*, totam latitudinem terræ, à mari mediterraneo, ad *Sodomiticum*, pro protenſione ſua ſub iſto nomine abſorbens.

## §. VI. *Tota Simeonitis intra Idumæam.*

ABſorpſit primò, totam *Simionitin*, cujus magna quidem pars concluſa erat intra regionem *Avæorum*, at non parta etiam, protenſa ulterius in *Judæam*. Memorantur urbes ejus *quatuordecim Joſ.* xix. ſi ſingulatim numeres, & computantur tantum tredecim, *ver.6.* ubi lxx numerum æquum expediunt dum שרוחן non pro urbe accipiunt ſed reddunt οἱ ἀγροὶ αὐτῶν ac ſi legiſſent שריהן ſed videtur potius *Sheba* concludi in unam cum *Beerſheba*, & ſic æquatur numerus.

## §. VII. *Tota regio Auſtralis Judææ, intra Idumæam.*

ABſorpſit etiam totam regionem *Judææ* Auſtralem, quæ generalius duobus nominibus inſigniebatur דרומא עילאה ותתאה *ſuperioris & inferioris.* Specialius vel diffuſius, ut nonnullis *Judæorum* placet, Septem 1. דרום 2. נגב 3. תימן 4. ים 5. ימין 6. חדר 7. סיניים vel סינים Et aliquando מרכבל הרים. *Hieroſ Sanhed. fol.* 18. 4. *Beriſh. rabba.* §. 52.

Ita ut cum pagina ſacra Auſtrum *Judææ* diſterminet ab *Idumæa Numer.* xxxiv. & *Joſu.* xv. rupta jam ſit linea iſta termination's, & totus Auſter *Judææ* audiat etiam *Idumæa* Atqui hic obiter, non poſſum non interpretem Arabem notare, qui *Edom* in *Joſ.* xv. 2. reddit אל רום *Romam.* Quo jure, ipſe videat, & *Judæi*, qui Romanos vulgò vocant *Edomæos.*

Quantum ſe intra *Judæam* intruſerit *Idumæa* hæc nova, non eſt definiendum, cum quidem limites nullos admiſerit, niſi ubi non potuerit, vel vis vel fraus, iſtius gentis ſeipſam ulterius protrudere. Si *Joſephum* adeas, hic illic de ea loquentem

quentem, credas eam ad *Hebronem* fere exporrectam. Inde forsan conatus isti quorundam. *Montanum Judææ eximendi à decimatione.* Cujus conaminis aliam rationem vix concipere possumus, quam quod regio ista jam nimis Ethnicissârit, & non exigerentur decimæ ab Ethnicis. Nam erant hi Idumæi tantum non Ethnici: In ritus quidem Judaicos transierant, at nec amici Judæorum, nec religionis.

*Hieros. Demai, fol. 24. 4.*

## § VIII. *De Palæstina tertia, aut salutari.*

DUM *Idumæam* hanc novam cogito, subit suspicio an *Palæstina tertia* quæ & *salutaris* dicitur, In Notitia Imperii Orientalis, non intelligi possit de ipsissima hâc parte *Palæstinæ*. Et dum illud cogito subit iterum ambiguitas de partitione *Palæstinæ*, in dichotomiam, apud *codicem Justinian: & Theodos:* & in Trichotomiam apud *Notitiam*.

*Tit. de Judæis & cælic. § 17.*

In edicto Theodosii & Valentiniani Cod. lib. 1. hæc habentur. *Judæorum Primates, qui in utriusque Palæstinæ Synedriis dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium Canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam quam Patriarchæ quondam, coronarii auri nomine postulabant, &c.*

Mentio *utriusque Palæstinæ*, tripartitionem videtur planè excludere, aut saltem concludere Synedria in tertia parte non fuisse; Nam tertiam partem absque omni scrupulo exhibet *Notitia Imperii*, apud quam disponuntur

*Sub dispositione viri spectabilis Comitis Orientis*
*Provinciæ infrà scriptæ*

*Palæstina.*
*Phœnice.*
*Syria.*
*Cyprus.*
*Palæstina secunda.*
*Palæstina salutaris.*
*Phœnice Libani*, &c.

Et

Et Juſtinianus. *Cùm una priùs tota Palæſtina eſſet, ea dein-de in tres diviſa partes.* *Novell. 103.*

Prima caput aſſignat idem Imperator *Cæſaream.* Gul. Tyrius, *Hieroſolymam.* Et de ſecunda & tertia non convenit ei & Pancirolo. Nam Metropolis ſecundæ Tyrio eſt *Cæſarea*, & tertiæ *Scythopolis.* Pancirolo ſecundæ *Samaria*, & tertiæ *Hieroſolyma.* *De bell. ſacr. lib 13. cap. 2.*

Primam, fide *Juſtiniani*, meritò opineris iſtam fuiſſe cujus caput *Cæſarea*: Secundam, ipſa quidem ratio ſuadebit fuiſſe *Hieroſolymitanam*, & ubi tertiam quæras ego profectò neſcio, ſi non in hac noſtra *Idumæa.* Diſſimulandum certè non eſt, quod apud Notitiam Imperii, in ſchemate Præſidiorum Romanorum picturis effigiato, pingitur *Jordanes* inter ea interfluens, quinque hinc diſpoſitis atque octo illinc: ità ut videri poſſit tertiam partem fuiſſe *trans Jordanicam.* At verò an ea partim ſub duce *Syriæ*, non ſit ordinanda aut *Arabiæ*, non hìc diſputabitur, at ſunt quædam quæ tali ſententiæ videntur arridere; partim apud ipſam *Notitiam*, præſertim verò apud authores allegatos.

Si ergò dabitur conjecturæ noſtræ locus, de *Idumæa* hac *nova*, eſt quod reſpondeatur de Synedriis *utriuſque Palæſtinæ*, non negatâ interim Trichotomiâ. Perpendendum quidem eſt, Synedria fuiſſe ſub temporibus *Theodoſii & Valentiniani:* Erántque olim in *Palæſtina*, cujus caput *Cæſarea*, & in *Palæſtina*, cujus caput *Hieroſolyma*; at non in *Idumæa* iſta de qua loquimur, cujus caput an ſtatuas *Gazam*, an *Aſcalona*, an *Eleutheropolim*, de qua tam frequenter Hieronymus & forſitan Bereſh. rabba in ſect. 42 non decernimus.

Mentio quidem occurrit apud Talmudicos de זקני דרום & דרומאי *Rabbinis Auſtralibus:* at non ità dictis ideo quòd in ultimis partibus *Judææ* Auſtralibus habitarent,

nam de *Jafnenſibus* & *Lyddanis* eſt titulus, ſed quòd Judæa ab Auſtro foret Galilææ. Nam *Tiberienſes* illos iſto titulo inſigniunt.

At quænamcunque tandem fuerit *Palæſtina* iſta *tertia*, non minor inſuper emergit ſcrupulus, quare ea vocata *Salutaris*.

Pancirolus vult, à ſalubribus aquis: eásque *Emmanuto* in Judæa fluere, didicit ille à *Sozomeno* lib. 5. cap. 21. Fontem ſcilicet ubi Chriſtus lavit pedes Diſcipulorum, *unde Aqua*, ut verbis ejus utar, *facta eſt diverſarum medicamen paſſionum*.

At præterquam quòd fabulam ſatis ſapit iſta hiſtoria, decepit primum ejus authorem, me Judice, vox *Emmaus*, quæ quidem aliquando pro *Ammaus* ſcribitur, *Thermas* denotante, et vocem *Chammath* in Græcanicam pronunciationem traducente, at vix compererat author hiſtoriæ, quicunque is primus fuit, oppidum Judææ *Emmaus* apud Judæos ſcriptum חמת ſed עמאוס vel אמאוס longiſsimè à ſignificatione *Thermarum*.

His adde etiam quòd apud eandem Notitiam, eſt mentio *Galatiæ Salutaris*; & diſtinctio *Macedoniæ*, & *Macedoniæ Salutaris*; *Phrygiæ Pacatianæ* & *Phrygiæ Salutaris*; *Syriæ Euphratenſis* & *Syriæ Salutaris*. In quibus omnibus locis aquas ſalubres invenire erit difficiliús: & exempla quæ de aliquibus earum profert author allegatus adeò ſquallent incredibilitate, ut ea pudeat poſt illum referre.

Dictas haſce regiones ego mavelim à Cohortibus & alis Militiæ Romanæ *ſalutaribus*, nam memoratur ab eadem Notitia, *Ala ſalutis*, ut *Ala ſecunda ſalutis* ſub Duce Phœnices, & *Cohors prima ſalutaria*, ſub Duce Palæſtinæ: vel fortè Præſidia Romanorum munitiſſima robuſtiſsimáque, & quæ maximè ad ſalutem & pacem totius regionis conduxerunt, erant hìc ſita. Et in *Idumæa* hac noſtra

ſtra quam *Palæſtinam Salutarem* vel *Tertiam* ſupponimus, diſpoſiti erant, idque è laterculo majori,

*Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſabæ.* vel in *Beerſheba*,

*Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ.* vel in *Carmelo* ubi habitavit *Nabal.*

*Equites Promoti Indigenæ Zodecathæ:* quam ſuſpicor eſſe *Speluncam Zedechiæ*, de qua Talmudici.

*Equites* Sagittarii *Indigenæ Zoaræ*: ſed hæc in medio relinquantur.

Et jam ut illuc redeatur, unde excitata eſt tota hæc diſſertatio, cùm dicitur à S. *Marco*, *Quòd Jeſum ſecuta eſt multitudo magna à Galilæa & Judæa, & Hieroſolymis, & ab Idumæa, & à trans Jordanem*, Notam ille & vulgarem tunc temporis terræ Iſraeliticæ partitionem retinet, licèt non iiſdem terminis. Partitio erat in *Judæam* יהודה, Et *Galilæam* גלילי: Et *Trans Jordanicam* עבר הירדן: *Galilæam* & *Trans Jordanicam* habet ille in terminis. Et pro *Judæa* in genere, nominat ille partes. *Hieroſolymas*, & *Judæam* ut diſtinctam ab *Idumæa*, & *Idumæam* ut partem meridionalem *Judææ.*

---

## CAP. II. Eremus. *Marc.* 1. 4, 12.

I. Ἔρημος *variæ ſignificationis.* II מדבר יהודה *Eremus Judæ.* III. *Schema Aſphaltitis, & Eremi Judæ, vel Idumæa adjacentis.* IV. Ἔρημος Ἰουδαίας, *ubi Johannes Baptiſta.* V. Μέλι ἄγριον *Marc.* 1. 6. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου. *Matth.* 3. 5.

IN Eremo nos ſiſtit vox Ἔρημος, adeò variæ ea, & dubiæ ſignificationis.

I. Aliquando *Agros* vel *Rus* tantùm denotat in Anti-

theſi ad urbem: quod obſervavimus ad *Matth.* iii. 1. ubi ſi cui diſpliceat quòd *Seam Eremi* reddidi *Seam ruſticam*, cùm reddi poſſet, & forſan deberet, Seam quâ uſi ſunt Iſraelitæ cùm caſtrametarentur in Eremo, pro iſto aliud, ſi vult, habeat exemplum.

*Shabb. fol. 45. 2. & Bezah. fol. 40. 1.* אין משקין וישוחטין את המרבריות *Non potant et mactant pecora Eremi.* [Gloſſ. uſitatum erat pecora potare ante mactationem, ut faciliùs excoriarentur.] אבל משקין את הביתות *At potant pecora domeſtica. Et hæc ſunt* מרבריות *Pecora eremi, Iſta quæ exeunt paſtum tempore Paſchatis, et domum redeunt ad pluviam primam.* i. e. Menſe Marheſhvan. *Rabba dicit, hæc ſunt pecora Eremi* כל הרועות אפר *nempe omnia quæ paſcuntur in pratis, et ad domos non accedunt.* Gloſſ. מרבריות הברייתות *Pecora eremi ea ſunt quæ foras ſunt in agris.*

II. Vox מרבר Ἔρημος regionem campanam denotat, ubi non diſtinguitur ſepibus ager hujus ab agro illius.

*Bava Kama. fol. 79. 2.* *Non alunt pecora minutiora in terra Iſraelitica, at in Syria alunt,* ובמרבריות של א' *& in eremis terræ Iſraeliticæ.*

Gloſſ. *Non alunt pecora talia in terra Iſraelitica, nè depaſcantur agros: Agri autem in terra Iſraelitica ſunt abſque dubio alicujus Iſraelitæ.* At verò in deſertis paverunt, id eſt, ubi non diſtinguebatur ager ab agro, ſed totum erat communis juris. Hinc intelligas quid denotetur per *deſertum Ziph, Maon, Tekoæ*, &c. nempe regio vel rus, urbibus adjacens, ubi etiam erant ſparſæ domus, præſertim verò, vel *le champaigne*, ubi non diſtinctio ſepium, vel montanum & quod incultius.

III. Non neceſſe eſt loqui de deſertis omnino incultis, & non habitatis, qualia ſunt deſerta *Arabiæ Lybiæ*, &c.

§ II.

## §. II. מרבר יהודה

CAchinno forsan excipietur, si distinguam *Eremum Judæ*, ab *Eremo Judææ*. Et risum quidem merebatur olim talis distinctio: at cùm absorpsisset, ut ostendimus, nomen *Idumææ*, magnam partem *Judææ*, tum non solùm tolerandum erat, sed etiam necessarium, ut distingueretur inter *Eremum Judæ* de qua *Josu.* xv. 61. & *Titulus Psalmi* lxiii. & *Eremum Judææ* ubi baptizavit *Johannes*

Psalmi istius titulus in fonte Hebræo, sic se habet. מזמור לדויד בהיותו במרבר יהודה *Psalmus Davidis cùm esset in Deserto Judæ.* At Græci interpretes reddunt Ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ ὅτε ἦν αὐτὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰδουμαίας Et Vulg. *Psalmus David cùm esset in Deserto Idumææ.* Non bonos quidem interpretes agentes, at non malos tamen Paraphrastas. Sic *Hierem.* ix. 26. על יהודה ועל ארום Ἐπὶ Ἰδουμαίαν καὶ ὅτι Ἐδώμ.

Si quæras ubinam fuerit *David* cùm Psalmum istum compingeret, respondetur à I *Sam.* xxiv. 1. In eremo *Engaddana*: Sique locum peculiarem ulteriùs investiges, erat illic, ubi postea conditum est *Masada castellum.* Nam parùm dubito, locum istum, prout eum describit *Josephus*, eundem fuisse cum צורי היערים *Rupibus hircorum sylvestrium.* *De bell. lib. 7. cap. 31.*

Provoco hìc tabulas earúmque authores, apud quos *Engedi* & *Masada* [ & *spelunca Lothi* ] statuuntur non adeò longè ab extrema ora *Asphaltitis* Septentrionali. Dicant an eoúsque protensa fuerit *Idumæa.* Si non, corrigant interpretes quos nominavimus: Et quamvìs ita, demonstrarent illi quâ authoritate loca ista ibi statuunt, & me amicè corrigant longè alibi collocantem.

§. III.

§. III. *Schema Aſphaltitis & Eeremi Judæ vel Idumææ adjacentis.*

Extra limites quidem noſtros jam ſumus [at ut ſperamus non extra limites veritatis] verbo ergò uno & altero, ſitus quem locis his attribuimus, ſic confirmatur.

I. In *Gen.* x. 19. ex Parallelo ſtatuuntur *Gaza & Sodoma.*

II. *Laſha* eſt *Callirrhoe.* Sic *Jonath.* עד לשע reddit עד קלרוחי *uſque ad Callirrhoen.* Sic & *Bereſhith Rabba,* & *Hieroſolymitani,* locis ad marginem.

Sect. 37. Megill. fol. 71. 2.

Situm ejus habes apud *Plinium* ab eadem ora qua *Machærus. Proſpicit Aſphaltiten,* inquit ille, *ab Oriente Arabia Nomadum, à meridie Machærus --. Eodem latere eſt calidus fons medicæ ſalubritatis Callirrhoe.*

Nat. hiſt. lib. 5. cap. 16.

Et

Et jam obſervetur è *Geneſeos* loco allegato, eodem modo quo diſponuntur *Sidon* & *Gaza*, limites ab iſta parte occidentali, ita & ſtatui *Sodomam & Laſham* ab Orientali, illam à meridie, hanc ab Aquilone, reliquáſque urbes hoc ordine ſtetiſſe. A *Laſha* versùs Meridiem *Zeboim*, poſt eam *Admam*, poſt eam *Gomorrham*, & poſt eam in ultima ora Auſtrali, *Sodomam*.

III. Longitudine extenditur *Aſphaltitis* inquit *Joſephus*, Μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας, & *Deut.* xxiv. 3. *Moſes* à monte Nebo, *Zoarem* proſpexit ab extremitate terræ ab iſta parte, ſicut extremitates ejus, proſpexerat ab aliis. *De bello. lib. 4. cap. 27.*

IV. Engedi eſt *Hazezon Tamar*. Targ. Onkel in *Gen.* xiv. 7. vid. ii *Paral.* xx. 2. & *Tamar* erat ultimus limes Auſtralis. *Ezek.* xlvii. 19. עין גדי תמריה. *Beriſh. Rab. ſect. 26.*

V. *Judææ terminus*, ait Solinus, *erat Maſada Caſtellum. Et ipſum haud procul Aſphaltite.* *Solin. c. 38. Plin. lib. 5. cap. 17.*

Dicit quidem *Joſephus* hoc caſtellum fuiſſe ὑ πρῶ Ἱεροσολύμων quod diſpoſitioni iſti quam ei aſſignamus videtur adverſari. *De bello lib. 4. ca. 24.*

At præterquam quod litigare liceret de iſta lectione, hiſtoricis cùm ſit uſitatiſſimum, vocibus ὑ πρῶ & ἐγγὺς, uti ſenſu latiſſimo & laxiſſimo, vix quicquam ſuper illud ſuperſtruxeris. Sic Solino *Callirhoe eſt fons Hieroſolymis proximus*, cùm tamen heu quantum diſtaret. Et Straboni *Lechæum* eſt Λιμὴν τῆς Ἰταλίας ἐγγὺς, cùm tamen diſtaret pluribus milliarium centuriis. *Solin. ubi ante. Geograp lib. 8.*

*Maſada*, Hebraicè eſt מצרה, quæ *Munitionem denotat*. idque meritò, cum caſtellum illud foret munitum ad miraculum ferè uſque. Deſumitur nomen à. I *Sam.* xxiii. 14. & xxiv. ubi LXX Syrus & Arabs videntur legiſſe מצרה per ר *Reſh* non ד *Daleth*. Nam illi in loco priori legunt, Ἐν τοῖς στενοῖς: Et in poſteriori Ἐν Μασρὲμ [al. Μασρεὼθ] ἐν τοῖς στενοῖς. Syr. & Arabs. *Maſroth*. Ac ſi legiſſent in fonte

*Antiq. lib. 6. cap. 14.* τε במצרות במצרות. Sic *Josephus* Αὐτὸς [Δαβίδης] μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ εἰς τὴν Μαδήρων ἀνέβη γῆν.

## §. IV. *Eremus* Ἰεδλαίας *ubi Johannes Baptista.*

HUc usque provecti sumus jn *Eremum Judæ* vel *Idumææ*, idque lubentiùs, quod in eâ describendâ, descripti etiam aliquam partem *novæ Idumææ*, de qua agebatur capite antecedente. Iam quærimus Ἔρημον Ἰεδλαίας, de qua Evangelia, in historia Baptistæ.

I. Et primùm, sine observatione præterire illud non possumus, quòd *non sine Prophetica prædictione* solùm comparuerit ille primùm, prædicans in Eremo *Esai.* xl. 3. sed *non sine mysterio* etiam. Nam cùm mundus Ethnicus frequentissimè apud Prophetas vocetur *Eremus*, promittatque Deus se magnifica facturum isti *Eremo*, stagna aquarum illic producturum, fertilitatem omnimodam illuc introducturum, atque horridum desertum immutaturum in amœnitatem Paradisi [ quæ omnia sensu spirituali erant præstanda, per Evangelium ] optimè quadrabat hisce promissionibus, ut Evangelium initium suum sumeret in eremo, etiam secundùm literam.

II, Natum Baptistam ego quidem arbitror, *Hebrone*, civitate *Aaronitica*, in montano *Judææ* Ios. xxi. 2. Luc. i. 5, 39. ipsum utroque parente *Aaronitam*. Ostenditur alibi peregrinantibus domus ejus incunabulorum; de qua quære, an *Beth Zacharia* cujus mentio apud Iosephum & librum Maccabaicum, isti traditioni non præbuerit fundamentum. Distabat ea à *Bethsura*, ut colligere est ex eodem *Josepho*, LXX tantùm stadiis aut circitèr [ per quam vocem LXX reddunt *Bethel* Australem in 1 *Sam.* xxx. 27. ] & an conveniat situs, quærat cui talia placent.

*Antiq. lib. 12. cap. 14. 1 Macc. 6. 33.*

Osten-

*Dicit Rabbah Bar bar channah, dicit R. Jochanan* אין ירדן אלא מבית ירחו ולמטה *Non eſt Jordanes, niſi intus ab Hierichunte & infra.* Urinatore longè me peritiori opus eſt, ut arcanum hoc petat è fundo. *Jordanes non eſt Jordanes ſupra Jerichuntem,* paradoxum eſt quod ipſos gloſſatores torquet, me ergo multò magis. Unus ſecundùm meram literam rem intelligit, nam *qui vovet* inquit, *Se non bibiturum è Jordane, bibere poteſt ſupra Jerichunta.* Alius de *Jordane* ut limitante, imò ut nominato limite infra *Jerichunta* ſolùm *Joſu.* xviii. 20. Rei non immoramur: At ſi limitatio talis *Jordanem* occuparet, ut non eſſet *Jordanes* ſuper *Jerichunta,* eâdem limitatione intelligenda etiam eſt ὁ καταβαθμὸς Ἰορδάνου, ut non ſit niſi infra. Vide LXX in *Gen.* xiii. 10, 12. *Beceroth. fol.* 55. 1.

Magiſtri hanc rem ventilantes, ex uno ſcrupulo alterum etiam cient, nam hæc inquiunt, *Jordanes effluit è ſpelunca Paneadis, pergit per mare Sibbichæum, per mare Tiberiadis, per mare Sodomæ* והולך ונופל לים הגדול *Et pergit & labitur in mare magnum:* אין ירדן אלא מבית ירחו ולמטה *at non eſt Jordanes niſi intus à Jerichunte & infra.* Demonſtret aliquis mihi ubi fluat *Jordanes* è mari Sodomitico in mare Mediterraneum. Fluvius *Shihor, nigrorem* nomine ſuo ferens, pro eo cenſeri poſſet, ſi quis alius, at nec de eo hoc liquet.

Dum turbas vides ad *Johannem* congregatas, & lætanter in *Jordane* baptizatas, abſque metu, abſque periculo, heu quantum *Jordanes* mutatus ab illo, in hiſtoria iſta *Saligniaci*!

*Jordanes,* inquit ille, *quo loco Chriſtus baptizatus fuit, ruinoſo ædificio eſt inſignis. Hìc ergo flumen ſanctum omnes peregrini ingreſſi, & corpora lavimus & animas: illa à ſordibus, has à peccatis, res ſummi gaudii atque ſalutis, niſi triſtis caſus gaudia noſtra turbâſſet: Nam medicus quidam* *Salign. tom. 9. cap. 6.*

*dam Gallus, noſtræ ſocietatis, vir probus, & cùm flumen paulo longiùs ingrederetur, captus Crocodilo,* [ *Draconem dicas an beſtiam, incertum* ] *abſorptus fuit, non ſine communi fratrum noſtrorum triſtitia.*

Eremus etiam, ubi tentatio Salvatoris Quadrageſimalis, ab eadem *Jordanis* ripa erat, quà Baptizatio *Johannis*, atteſtante Sancto *Luca*, quod *Jeſus* jam baptizatus ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου *reverſus eſt à Jordane*, ab eodem ſcilicet tractu quo illuc perrexerat.

---

## CAP. III. Γαζοφυλάκιον. Marc. xii. 41.

*I Corbonæ variæ. II* שופרות *Ciſtulæ Corbanicæ. III Corbona* לשכה. *IV Ubinam* Γαζοφυλάκιον. *V* גר יון *in templo. VI Hieroſolyma, Herodoto eſt Cadytis. VII Plateæ Hieroſolymitanæ. VIII Platea ducens à Templo versùs Oliveti.*

ILlud quod dicunt Talmudici de rebus aliis nonnullis שתים שהן ארבע quod *Duæ fuerunt, quæ quidem evaſerunt quatuor*, locum etiam habere poteſt quoad *Corbonas* vel theſauros ſacros. Duæ fuerunt quoad finē, at quatuor quidem quoad expeditionem in iſtum finem.

*Shevuoth c. 1 hal. 1. Zevachin. fol. 54. 2.*

1 Erat *Corbona* לברק הבית, *ad reſtaurationem* & refectionem ipſius ædificii Templi, & *Corbona* לעבודת המקדש ad parandum ea quæ neceſſaria erant ad cultum divinum, in templo. Utraque etiam duplex.

*Shekalim c. 5. hal. 6.*

Duplicitatem prioris habes in hac traditione.

שתי לשכות היו בהקדש. *Duo conclavia erant in Templo.* לשכת חשאים *Conclave ſilentum* vel clandeſtinorum, *ubi viri pii obtulerunt clanculum, unde enutrirentur filii piorum parentum etiam clanculum.* Id eſt Eleemoſynas ſecretò contulerunt, in pium hunc uſum, ut non innoteſcere quis contulerit. Sunt qui hos חשאים, arbitrantur eoſdem fuiſſe cum

cum *Eſſæis*, de qua re hìc non diſputabitur, nec hunc theſaurum charitativum inter *Corbonas*, de quibus agitur, numeramus, quippe quod nihil conferret ad res Templi. Sed pergit traditio.

ולשכת הכלים: *Et erat conclave vaſorum, ubi quicunque vas aliquod obtulit, illud projecit. Et poſt triginta dies theſaurarii conclave aperuerunt, & quodcunque vas in eo repertum eſt quod commodum foret ad reſtaurationem ædificii, repoſitum eſt in iſtum uſum. Et quodcunque non commodum, vendebatur, & pretium ejus ceſsit* ללשכת ברק חבית *Conclavi pro reparatione ædificii.*

Advertis ut fuerit *Corbona vaſorum* vel inſtrumentorum ferreorum, æneorum, argenteorum, &c. Et *Corbona Nummorum*: utraque in eundem finem, nempe in refectionem ædificii & ſtructuræ templi & atriorum, ſi quo modo collaberentur, aut malè ſe haberent injuriâ temporis, tempeſtatum aut pluviarum.

Addit *Maimonides* פרכות של היכל *vela templi etiam proveniunt è conclavi pro reſtauratione ædificii, at vela oſtiorum ex Corbona* לשבה *De qua poſtea.* *Maimon. in Shekalim. cap. 4.*

## §. II. שופרות *Ciſtulæ Corbanicæ.*

DUplex etiam erat *Corbona* unde ſuppetiit ſumptus pro rebus, ad cultum divinum neceſſariis. Prima erat שופרות vel *ciſtulæ* quædam, de quibus ſic magiſtri.

יג שופרות היו במקדש: *Tredecim arculæ erant in Templo, quibus inſcriptum erat* תקלין חדתין *Sicli novi* [i. e. anni præſentis. תקלין עתיקין *Sicli veteres.* [vel anni præteriti] קינין *Turtures*, &c. *Shekalim c. 6. hal. 5. Joma. fol. 55. 2. Maim. ubi ante cap. 2.*

Fuſius planiúsque *Maimonides*.

*In Templo fuerunt tredecim arculæ formatæ inſtar tubarum:* Id eſt, Anguſtiores ſuperiùs, inferiùs dilatatæ.

*Prima erat pro Siclis anni præſentis.*

*Secunda erat pro Siclis anni præteriti.* *Tertia*

*Tertia, ei cui incubuit oblationem adducere duorum turturum aut columbarum, unam pro Holocausto, alteram pro sacrificio pro peccato, pretium ejus projecit in hanc cistam.*

*Quarta, ei qui aliàs oblationem debebat ex avibus. Pretium ejus projecit in hanc cistam.*

*Quinta, ei qui nummum voluntariè obtulit ad coemenda ligna pro altari.*

*Sexta, ei qui nummum obtulit ad coemendum thus.*

*Septima, ei qui aurum obtulit pro propitiatorio.*

*Octava, pro quod supererat de sacrificio pro peccato. Cùm scilicet nummum dicaverit quis pro sacrificio pro peccato, coemeritque inde sacrificium, & supersit aliquid, illud projiciat in hanc cistam.*

*Nona, pro quod supererat de sacrificio pro transgressione.*

*Decima, pro quod supererat de columbis pro profluviosis & puerperis.*

*Undecima, pro quod supererat de oblationibus Nazirei.*

*Duodecima, pro quod supererat de sacrificio leprosi.*

*Decima tertia, ei qui nummos offert pro Holocausto è jumentis.*

*Atque unicuique cistæ inscriptum erat illud cui destinatus erat nummus qui in ea reconditus.*

In unam harum arcularum minuta sua duo projecit vidua laudata à Salvatore: ubinam autem istæ fuerint sitæ quæremus illico.

## §. III. *Corbona* לשכה.

ERat & conclave, in quo in tres cistas evacuabatur quidquid nummi colligebatur in his de quibus diximus, quod Talmudicis vocatur emphaticè & κατ' ἐξοχὴν לשכה vel *conclave*.

Joma. fol. 64. 1. *Tres cistæ erant, unaquæque continens tres Sias in quibus evacuant Corbonam, & iis inscriptũ erat* א ב ג. *Et quare inquit*

Oſtenditur & cellula ejus ulteriùs in eremo, ut dicitur *Judææ*, rupe exciſa, unà cum cubili, & fonte juxta fluente, quæ credulis relinquimus; eremus certe ubi prædicans baptizavit, longè aliàs eſt inveſtiganda.

III. Dicit *Lucas* quod *factum eſt verbum Domini ad Johannem in eremo*, καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου: Migravit ille ab eremo in eremum: In eremo, in montano *Judææ* juventutem tranſegerat, ut vir privatus; non ut eremita, ſed in opificio aliquo aut ſtudio verſatus, nec quidquam auſteritatis ſuæ ſibi aſſumens, præter *Naziræatum* ante annum ætatis triceſimum. Tunc invaſit eum ſpiritus Prophetiæ, & *factum eſt ad eum verbum Domini*, de functione & munere ejus eum edocens, de victu & veſtimentis inſtruens, & ad locum ubi inchoandum ejus miniſterium dirigens.

Erat iſte locus regio *Hierichuntina*, vel illa quæ inter urbem iſtam & *Jordanem* erat interjecta, & ſic hinc & illinc eodem ſpatio, nec non cis *Hierichunta*, versùs *Hieroſolymas*. Regio, & titulo quem tribuunt Evangeliſtæ, conſonantiſſima; & miniſterio Iohannis commodiſſima. Nam

I. Eremoſa ſatis ſuperque erat, ſecundùm quod dicitur, *Venit Johannes prædicans in eremo.*

Spatium, inquit Joſephus, *à Jerichunte ad Hieroſolymas, deſertum eſt & petroſum. Ad Jordanem verò & Aſphaltiten planius quidem, at æquè deſertum eſt & ſterile.* Joſ. de bell. lib. 4. ca. 27.

Et Saligniacus. *Iter ab Hieruſalem difficillimum eſt, lapidoſum ac aſperrimum, cui ſimile me vidiſſe non memini. Hiericho diſtat à Jordane, decem fere milliaribus* &c. Tom. 9. ca. 5.

II. Diſtinctivè potuit hæc regio dici *Eremus Judææ*, quia aliæ regiones *Judææ*, denominationes alias ſuas habuerunt. Ut *Montanum Regale. Planities Auſtri. Planities Lyddæ. Convallis ab Engedi. Betharonis* περίχωρος &c. Hieroſ. Sheviith. fol. 38. 4.

III. Eremoſa adeò, licèt foret regio iſta, multitudine

hominum tamen abundavit maximè: Nam præterquam quod frequentes hìc illic ſparſæ eſſent in ea villæ. 1. Ipſa *Hiericho*, erat urbs *Hieroſolymæ* dignitate proxima. 2. Erant ſemper in ea 12000 viri ex *Ephemeriis* ſacerdotalibus. 3. Terebatur aſſiduè via iſta à turba numeroſiſſima, partim inter civitates iſtas itinerantium, partim ex aliis tractibus *Judææ*, itemque ex *Ephraimitide* in *Peræam* tendentium, & è contra. 4. Miniſterium ſuum inchoavit *Johannes*, circa tempus Paſchatis, cum turba illac confluëret longè numeroſior.

*Id. Taanith. fol. 67. 4.*

IV. Commodiſſima erat hæc regio, victui & eſcæ ejus, quoad mel agreſte, de quo pauca.

§. V. Μέλι ἄγριον. *Marc. 1. 6.*

CUm toties iteretur in Sacra pagina, Deum dediſſe populo Iſraelitico *terram fluentem lacte & melle*, hinc 1. concluderes totam terram ſic fluxiſſe, & 2. hinc expectares infinita apum alvearea. At audi quid de his Talmudici.

*Dicit* R. Jonah, *Terra fluens lacte & melle, eſt terra cujus aliqua pars fluit lacte & melle.* Et partem iſtam aiunt eſſe in *Galilæa*, nam ſic aiunt, *Per ſedecim milliaria undiquaque à Zippore eſt terra fluens lacte & melle*; de qua re & regione dicturi ſumus alibi.

*Hieroſ. Biccurim. fol. 64. 2.*

*R. Joſe Galilæus dicit, Non afferunt primitias è regione quæ trans Jordanem, quia ea non eſt terra fluens lacte & melle.* Et oportuit primitias offerentem, dicere, *Deus dedit nobis hanc terram fluentem lacte & melle, Et jam attuli primitias terræ, quam tu O Domine dediſti mihi.* Deut. xxix. 9, 10.

*Biccurim cap. 1. hal. 15.*

Quomodo autem fluxit melle, ea pars quæ fluxit?

Diſce à *Rambano* in locum, ורצה מאמרו ור"ש רבש *Cum dicit, & Melle*, inquit ille, *intelligit* של תמרים. *mel*

*mel palmarum. Nam palmæ quæ ſunt in planitie & in convallibus, abundant melle admodum.*

Erat & mel diſtillans a ficubus.

*Dicit R. Jacob ben* דוסתאי *Doſithei, profectus ſum tempore quodam a Lydda ad Ono ante diluculum, ad talos uſque in melle ficuum.* Chetubb. fol 111. 2.

Hoc eſt Μέλι ἄγριον de quo ut victu Baptiſtæ Evangeliſtæ: & quam commoda huic rei regio *Hierichuntina foret, quæ regio Palmarum audiit, cuivis oculo eſt conſpicuum.* Diodorus Siculus de gente, quadam Arabum hæc ait. φύεται αὐτοῖς τὸ πίπτει ἀπὸ τῆς δενδρων καὶ μάλα πολὺ τὸ καλούμενον ἄγριον ᾧ χρῶνται πρὸ μὲν ὕδατος. cuivis oculo eſt conſpicuum. An & æquè commoda venationi locuſtarum, non dicimus; certe in hac re etiam regioni nulli ceſsit, ſi vel ſterilitas vel fertilitas iſtis gignendis conveniret, nam erat *Hiericho* & regiuncula adjacens ut hortus amœnitatis, in medio deſerti. Commodiſsima certe fuit grandi iſti operi a Baptiſta præſtando, baptizationi in *Jordane*. Diod. Sic. lib. 19.

## §. VI. Περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου. *Matth. 3. 5.*

Hîc non inutile eſt illud *Borchardi*. *Scias quod ab ortu Jordanis ſub Libano, uſque ad ſolitudinem Pharan, fere per centum milliaria, ipſe Jordanes in utroque littore, campos habet latos & amœnos, qui retro circumdantur altiſſimis montibus.* Cujus rei veritatem ſi oculi ejus non experti fuiſſent, diſcere potuiſſet à *Joſepho*, qui hæc ait Borchard. cap. 7. 26.

*Imminet Hierichunti montanum, protenſum, aquilonem verſùs, uſque ad terram Scythopolitarum, & verſùs auſtrum, ad regionem Sodomiticam atque ultimos fines Aſphaltitis: Salebroſum autem eſt & non habitabile propter ſterilitatem. Ex adverſo procurrit montanum juxta Jordanem, incipiens à Juliade & regione aquilonari, & protenſum verſùs Auſtrum uſque ad Gomorrha, in quæ terminat Petram Arabiæ.* Joſ. de bell. lib. 4. c. 27.

*Medium inter duo hæc montana vocatur* Μέσα πεδίον *Magna planities; ab oppido Ginnabri, extensa usque ad Asphaltiten. Longitudine* Mcc. *stad. latitudine* Cxx. Καὶ μέσον διὰ τῆς Ἰορδάνου τέμνεται: *Atque in medio interscinditur per Jordanem.* Planities Jordanis ante eversionem Sodomæ, &c. *Gen.* xix. est περίχωρος in LXX.

Docent ista quæ sit περίχωρος Ἰορδάνου: & adjecta vox πᾶσα ab Evangelista, suadere potest & ulteriorem etiam ripam comprehendi posse, præsertim vero si perpendatur quam nihil fere distantiæ fluvius interposuerit: Adeo modicum spatium excepit, ut referunt Gomaristæ, *Incendium in hac ripa accensum ad alteram transvolasse*: Et supponunt aquam ab hac ripa, ad illam posse spargi; in cautione ista; *Ne accipiat quisquam aquas purificationis & cineres purificationis, & transvehat trans Jordanem. Nec stet in hac ripa, & spargat in aliam.*

*Hieros. Bava Koma fol. 5. 3. Bab. Jevamoth. fol. 116. 2.*

Utcunque: Non ea latitudine fuit fluvius, quin quod duo ex adversis ripis stantes, potuerint se invicem intueri, aliquid ab hac ad illam trajicere, imò & confabulari: & tum cogita annon & ulterioris ripæ incolæ etiam ad Baptistam confluxerint, tam prope eum existentes & quasi intra conspectum.

Discutiunt magistri, an *Jordanes* sit æstimandus *ut limes* terræ Israeliticæ, an *ut ipsa terra*; & occasio istius disputationis, oritur ex quæstione alia, nempe ista; Grex hominis unius, separatur & dividitur in duas partes, & pascuntur istæ duæ partes in locis distantibus: quæritur an decimatio habenda sit ut de grege uno, an duobus? Hinc dilabitur discussio ad *Jordanem*: Una pars gregis est cis *Jordanem*, altera trans: Si *Jordanes* sit æstimandus pro limite terræ, tum una pars est intra terram, altera extra. Si vero ipse, pro ipsa etiam terra, sit æstimandus, tum res se habet aliter. Inter alia in hac disputatione

*Dicit*

*quit* R. Jose, *inscriptum erat Aleph, Beth, Gimel? Nempe ut dignosceretur quænam inter eas primùm repleretur, ut ea primùm evacuaretur.* R. Ishmael *dicit, inscriptio erat Græcè, Alpha, Beta, Gamma.* Shekalim. cap. 3.

Cistæ istæ de quibus hìc agitur, eæ erant, in quas evacuatum est è tribus majoribus, quæ semper immotæ steterunt in Conclavi: Cujus evacuationis modum accipe à verbis glossematis in locum allegatum.

*Cistæ istæ in quibus repositus erat nummus, continebant seas viginti septem* [ unaquæque novem ] *& coopertæ erant linteo. Ingressus est ille qui evacuaturus erat cum cistulis tribus continentibus novem seas. Replevit primò cistulam istam cui inscribebatur* א, *è primâ inter tres cistas magnas, & deinde cooperuit eam linteo suo. Deinde discooperuit cistam secundam inter magnas, atque ex ea replevit cistulam secundam cui inscriptum erat* ב; *& rursus cooperuit eam. Deinde discooperuit cistam tertiam è magnis & cistulam replevit cui inscriptum erat* ג: *Sed alteram non iterum cooperuit*, &c.

De modo porro & tempore hujus evacuationis hæc magistri.

*Ter in anno* תורמין את הלשכה *curant de conclavi* Ibid. [ nam liceat mihi hoc loco ita reddere ] id est ut *Gloss.* [ E tredecim cistulis transtulerunt quicquid in illis fuerat collectum in tres magnas istas quæ in hoc conclavi, ac pariter eas evacuârunt in minores istas de quibus antea ] בפרוס הפסח *A spatio semestri ante Pascha, ante Pentecosten, & ante Scenopegiam:* vel *in initio mensis Nisan, & mensis Tisri, & quindecim diebus ante Pentecosten.*

Et hìc non possumus non verba glossatoris in locum Talmudicum de quo jam agitur exscribere, quippe quòd locum apud Evangelistas non parùm illustrant.

*Publicârunt*, inquit ille, *& notum fecerunt, quòd oporteret eos adducere oblationem Domini* [ Hemisiclum ] *Illos qui*

*propiùs erant* [Hierosolymam] *ad Paſcha, & illos qui remotiùs ad Pentecoſten, & qui remotiſsimi, ad Scenopegiam.* הלין רקריבי בפרוס פסח והלין רדחיק בפרוס עצרת והלין דרחיקין מנהון בפרוס החג

Hæc facem præbent hiſtoriæ apud Sanctum *Matthæum*, cap. xvii. de collectoribus *Didrachmæ* vel Hemiſicli, eam exigentibus à Chriſto *Capernaumi* cùm jam longè præterierat feſtum Paſchatis: ſed pergimus.

*Is qui in Conclave ingreſſus eſt, ut ciſtas evacuaret, non ingreſſus eſt cum veſte complicata, nec cum calceis, nec cum ſandaliis, nec cum Phylacteriis, nec cum amuletis*, &c. Ratióque erat, ut abeſſet & amoveretur opportunitas, ac ſuſpicio ſuppilandi, atque aliquid nummorum ſub his abſcondendi.

Ceſſit nummus indè petitus, ad coemendum ſacrificium juge, & libamina, ſalem, lignum, thus, panes propoſitionis, veſtes ſacerdotum, & verbo uno, quicquid neceſſe erat ad cultum & miniſterium Templi.

Imò *Rabh Aſai dicit* גוזרי גזירות בירושלם *Judices de rebus raptis qui erant Hieroſolymæ, ſtipendium ſuum Nonaginta & novem manas acceperunt* מתרומת הלשכה *ex reditu Conclavis.*

Chetub. fol. 105. 1.

## § IV. *Ubinam* Γαζοφυλάκιον.

RES perquiſivimus, loca jam inveſtigemus.

I. Arculas iſtas tredecim quæ שופרות vel *Tubæ* dictæ ſunt in *atrio mulierum* ſtatuimus abſq; omni hæſitatione: ídq; fide *Joſephi*. Αἱ δὲ σταὶ, inquit ille, de atrio iſto loquens, μεταξὺ τῆς πυλῶν, ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐξαιρόμεναι περὶ τὸ γαζοφυλακίων, σφόδρα μὲν κλησὶς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. *Porticus procurrentes inter portas, à muro interiùs protenſæ ante Gazophylacia, pulchris & grandibus ſuſtentabantur columnis.* His addamus verba Evangeliſtæ, *Johan.* viii. 20. Ταῦτα τὰ ῥήματα ἐλάλησεν

De bello lib. 5. cap. 14.

ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ si dictum foret κατέναντι τοῦ Γαζοφυλακίου tantùm, quod ait *Marcus*; de Conclavium aliquo, de quibus diximus, potuiſſet intelligi: quem ſenſum ſequi videtur interpres Arabs, qui reddit, quod *ſederet Jeſus* ענר באב *ad oſtium* Gazophylacii: At cùm dicatur, quòd verba iſta locutus eſt Ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ, omnimodò Conclavia iſta excluduntur, in quæ Chriſtum ingredi permiſſum fuiſſe, ridiculum foret opinari.

At nota Γαζοφυλακίων apud *Joſephum* numero plurali, eúmque de atrio mulierum loqui, & minimè dubitaveris eum ſub voce Γαζοφυλακίων, reſpexiſſe has arculas: Atque æquè non dubitaveris *Marcum* eódem reſpexiſſe, cùm obſervaveris de fœmina apud eum eſſe ſermonem, ut & eam, aliósque nummum injeciſſe εἰς τὸ Γαζοφυλάκιον, quod, ut ex his patet quæ ex Talmudicis protulimus, in alias *Corbonas* nec ſolitum, nec permiſſum.

Vocatur quidem hoc atrium vulgò apud ſcriptores Judaicos עזרת נשים *Atrium mulierum*, non quòd mulieres ſolæ illud ingrederentur, ſed quòd mulieribus non liceret ulteriùs progredi: eodem ſenſu quo atrium exterius vocatur *Atrium Gentium*, non quòd ethnici ſoli illud intrarent, ſed quòd iis non liceret porrò pergere: Dictum erat & iſtud vulgatiſsimè הר הבית *Mons Templi*: Ità & hoc de quo agimus, Γαζοφυλάκιον,

Cùm itaque dicatur à S. *Marco* quòd *Jeſus ſedit* κατέναντι τοῦ Γαζοφυλακίου, hùc redit, quòd ſedit ſub porticu ante quam poſitæ erant iſtæ arculæ. Et cùm dicit *Johannes*, *Hæc locutus eſt Jeſus* Ἐν τῷ Γαζοφυλακίῳ idem eſt ac ſi dixiſſet, Hæc locutus eſt *in atrio mulierum*: Imò in iſto loco ubi erant iſtæ arculæ, ut diſtingueretur locus iſte ab aliis quæ erant in illo atrio: Nam in unoquoque iſtius atrii angulo erat & atriolum, unumquodque nomine proprio nuncupatum, ut patet locis ad marginem adſcriptis.

*Middoth. cap. 7. halac. 5. Joma. fol. 36. 1.*

II. Situm reliquarum *Corbonarum* de quibus mentionem fecimus inveſtigare, non illud eſt quod jam agitur: nam quod propoſitum eſt ut penſum noſtrum, expedivimus: At hoc lectoris gratiâ, non monere non poſſumus; A latere atrii Iſraelis Aquilonari fuiſſe portam quæ vocabatur *Porta Corban*, imò collatis verbis magiſtrorum, videntur fuiſſe duæ portæ eodem nomine, quarum unam ſi aſſignes לשכה קרבן *Corbonæ* iſti, in quam evacuabatur nummus ex tredecim arculis, & alteram לשכת ברק הבית קרבן *Corbonæ* iſti quæ erat in refectionem aut reſtaurationem ipſius ædificii, forſan non aberraveris. Certè probabiliorem aliquem locum apud ſcriptores iſtos non inveneris.

*Middoth ubi ſuprà halac. 6.*

## §. V. גר יון *In templo.*

*Zavim cap. 1. halac. 5.*

IN Codice Talmudico *Zavim* hæc occurrunt, obſcura ſatis: ראה אחד מרובה כשלש שהיא כמין גר יון לשילוה: *Videt unam multiplicatam* [ vel continuatam ] *inſtar trium, quæ ſunt ſicut à Gad Favan ad Siloam.*

Res de qua agitur, eſt de detectione fluxionis alicujus profluvioſæ. Exempli gratiâ. Detegit quis in ſe talem diſtillationem profluvioſam, jam unam, mox aliam, illico tertiam; diſputatur quanta aut quantilla temporis intercapedo ſit aſſignanda, ut habeatur pro profluvioſitate una aut duplicata, & conſequenter ad quantam aut quantillam oblationem teneatur pro ejus purificatione. Eò ſpectat traditio quam adduximus: nempe ſi una vice talem fluxionem videat, quæ adeò continuatur, ut trium detectionum ſpatium excipiat, tantum ſcilicet quanto quis ambulare poteſt *à Gad Favan ad Siloamum* הן זב גבור *Ecce homo talis eſt completè profluvioſus.*

Docent nos Gloſſatores & Aruch quòd fuerit גר יון *Gad Favan.* Audi ipſos גר יון *Eſt Phraſiologia deducta à verbis iſtis* העורכים לגד שלחן [*Eſai* lxv. 11. ubi LXX Ἑτοιμάζοντες

μάζοντες τῷ δαιμονίῳ τράπεζαν. Vulg. *Qui ponitis fortunæ mensam.* Interlin. *Jovi mensam* ] *Et est locus ubi reges Græci erexerunt Idolum: Sicut dicitur in codice Avodah Zarah, In Angulo ortum æstivum spectante Asmonæi abdiderunt lapides altaris, quod profanaverant Græci, Idolis suis.*

An Interpretes autem hi nostri *Gad Javan* supponunt esse conclave istud ubi latuerunt isti lapides, ab *Asmonæis* illic repositi cùm altare restaurent, de quo loco vide si lubet locum ad Marginem, aut locum ipsum ubi stetit Idolum quære. At quantum inde spatii, quaque via inde processum ad *Siloamum*, O utinam definissent. Hoc tantum de re ista dicunt, כרי ב טבילות וכשני סיפוגין quod *erat tantum spatii, quantum quis ambularet, dum quispiam se bis in balneo lavaret, & bis se abstergeret.* *Middoth c. 1. hal. 6.*

In templo jam existentes non possumus non nomen ejus observare apud magistros usitatum בירה hoc est, ut Aruch, *Palatium.*

*Si casus nocturnus* [vel gonorrhæa] *cuiquam Levitarum obtingeret, egressus* הולך לו במסינה ההולכת תחת הבירה *descendebat in Crypto: porticum quæ sub sanctuario deducebatur, ad balneum,* &c. Hæc referuntur de templo secundo. Ast alibi, cum disputatur, an homines sub templo primo, an secundo meliores essent, determinat *Rabbah, Hoc docere potest* בירה שחזרה לראשונים ולא חזרה לאחרונים *Birah, quæ adfuit prioribus, ast non adfuit posterioribus:* Si per בירה intelligendum est ipsum templum, affuit illud & prioribus & posterioribus: Si aliqua pars templi, particularis, affuit ea etiam ut liquet ex allegatis, posterioribus. At videtur ex filo dissertationis, loco citato, quod per בירה, *Rabbah* non intelligit ipsum templum, sed gloriam templi, & dotes istas divinas, *Ignem cœlestem, Arcam, Urim,* &c. quæ primo adfuerunt, abfuerunt autem à secundo. Nam illicò dilabuntur in sermonem de cessatione *Ibid. hal. 8.* *Joma. fo. 9.*

one Prophetiæ ſub templo ſecundo, & ſuccedente, ejus vice *Bath Kol*. Vox בירה eſt in ore *Davidis*. 1 *Paral.* *xxix.* 19. לבנות הבירה אשר עשיתי

## §. VI. *Hieroſolyma Herodoto eſt Cadytis.*

SAlutemus & *Hieroſolymam*, idque nomine ſuo glorioſiſſimo *Urbis Sanctæ*. Eodem eam indigitat *Herodotus*, ſi non plurimùm fallamur, ſub nomine *Cadytis*.

*Herodot. in Thalia. c. 5.* Ἀπὸ Φοινίκης, inquit ille, μέχρι ὀρέων τῶν Καδυτέων πόλιος, ἣ ἔστι Συρίων τῶν Παλαιστίνων καλεομένων.

*A Phœnice uſque ad montes Cadytis, quæ eſt urbs eorum Syrorum qui Palæſtini vocantur.*

*Hieroſolymam* ſub hoc nomine ab eo indigitari hæc ſuadent.

I. Vocabatur ea vulgò קדושה *Sancta*. Moneta Iudaica ubicunque diſperſa, hunc titulum urbis enuntiavit. Iam verò cùm Syrorum Dialecto uſitatiſsimum foret ש in ת commutare, quam facilè erat apud eos, atque apud exteras gentes eos imitantes, *Cadyſha*, in *Cadyta* & *Cadytis* tranſire, ut חרשה *Nova* in חרתא.

II. Comparat ille *Cadytin* magnæ urbi *Sardis*. Nam Ἀπὸ δὲ Καδύτεω, [pergit ille] ἐούσης πόλιος, (ὡς ἐμοὶ δοκέει) Σαρδίων ἐλάσσονος πολλῷ, *Ab urbe Cadyti, non multò quam Sardis minori ut ego arbitror.* Iam verò nulla omnino urbs intra *Palæſtinam* digna erat quæ cum *Sardis* conferretur, nobiliſsima olim Metropoli, præter *Hieroſolymam*.

*Id. in Euterpe. c. 159* III. Hæc ille etiam de *Necho* rege Ægypti, Καὶ Σύρτισι πρῶτος ἐστρατεύσατο Νεκὼς συμβαλὼν ἐν Μαγδώλῳ ἐνίκησε. Μετὰ δὲ τὴν μάχην Κάδυτιν τὴν πόλιν τῆς Συρίης ἐούσαν μεγάλην εἷλε. *Necus autem terreſtri acie congreſſus cum Syris in Magdalo, victoriâ potitus eſt: Et poſtea Cadytin magnam Syriæ urbem cepit.*

Quæ ſi conferantur cum hiſtoria ſacra de *Pharaone Necho Joſiam* prælio debellante in valle *Megiddo*, & de throno

no Iudaico diſponente 2 Reg. *xxiii.* 33, 34. rem ſtatuunt extra omnem controverſiam.

Pergit *Herodotus.* Ἀπὸ Ταύτης [Καδύτιος] τὰ ἐμπόρια τὰ ὀπὶ θαλάσσης μέχρι Ἰηνύσου πόλιος ἔστι τῆς Ἀραβίας. Ἀπὸ δὲ Ἰηνύσου ἤδη τῆς Σνείων μέχρι Σερβωνίδος λίμνης. *A Cadyti emporia maritima uſque ad Fenyſum urbem, ſunt Arabiæ; A Fenyſo porro ad Serbonidem lacum ſunt Syrorum,* Obſcura ſatis, præſertim verò quænam fuerit urbs *Fenyſus*: Memorant quidem Talmudici עינוש inter oppida quæ dicunt eſſe בתחום Εν οἷς ἴφ, ſed non convenit ſitus: At rem non exagitabimus hoc loco. *Hieroſ. Demai. fol. 22.4.*

## §. VII. *Plateæ Hieroſolymitanæ.*

*Plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur indies.* שוקי ירושלם עשויין להתכבר בכל יום:

*Peſachin. fol. 7.1. & Megia. fol. 26.1.*

INde *Nummi qui reperti ſunt in Hieroſolyma coram mercantibus pecora, ſemper ſunt decimæ. In monte templi reperti, ſunt* חולין *profani* vel communes. *In Hieroſolyma cæteris diebus anni ſunt communes, at tempore feſtorum, omnes ſunt decimæ. At dicit R. Shemaia, Quanam hoc ratione? Cum plateæ Hieroſolymitanæ verrantur quotidie.*

Gloſſ. *Semper ſunt decimæ: Et tempore feſtorum, & tempore non feſtorum. At in monte templi nummi reperti, erant communes, etiam tempore feſtorum. Nam ſupponitur eos ab iis excidiſſe* [vel perditos fuiſſe] *in monte Templi, atque inde ſunt communes. At quare in Hieroſolyma tempore feſtorum erant decimæ? Et quare non dicitur, quod ab iis illic exciderant ante feſtum, ſicut dicimus de monte Templi? Quia plateæ Hieroſolymitanæ verrebantur indies, & ſi illic perditi fuiſſent nummi ante feſtum, ii qui plateas verrebant, inveniſſent antea. At monti, templi non opus fuit*

ut

*ut verreretur quotidie, nam lutum & pulvis illic non hæsit, quia mons erat declivis: atque insuper non licuit cuiquam illuc ingredi cum calceis suis, aut pulverem in pedibus suis.*

Omittere non possum quæ dicit præterea.

*Plurimum carnis quæ comedebatur Hierosolymis* [ tempore festorum ] *erat è Decimis* [ secundis ] *Nam vix morabatur quispiam illic donec omnes decimas suas comedisset, at nummos decimarum dedit vel pauperibus, vel amicis suis in urbe. Et plerúmque nummis decimarum coemerunt sibi sacrificia eucharistica.*

§. VIII. *Platea ducens à Templo versùs Olivetum,*

Pesachin. fol.26.1.

R *Abban Jochanan ben Zaccai* היה יושב בצלו של היכל *Sedit sub umbra Templi & docuit populum per totum diem.*

Gloss. *Cum Templum fuerit altitudinis centum cubitorum, umbram projecit in longinquum valde, in plateam istam quæ erat coram* הר הבית *Monte Domûs: Atque ideo quod platea ista spaciosa foret, & magnam hominum multitudinem posset continere, Jochanan illic docuit ob calorem. Nam nulla Synagoga potuit continere auditores.*

Platea ista quæ erat *coram monte templi*, secundùm usitatam loquendi formam, ista erat per quam pergebatur ad Templum, ad portam Orientalem, de qua platea & populo illic ab *Hezekiah* congregato, prout *Jochanan* auditores suos illic congregavit, mentio habetur in II *Paralip.*xxix.4. Exiit hæc platea in vallem Kidronis per *portam Aquarum.* Et hâc exiit sacerdos vaccam rufam combusturus in *Oliveto:* Et hâc introiit magnus Pontifex noster cum Palmis & *Hosanna.* Vocatur hæc *Platea Templi.* Ezr.x.9.

CAP.

## CAP. IV.

Ἡ κώμη ἡ κατέναντι. Marc. xi. 1.

I. *Iter Sabbaticum.* II. *Tabernæ in monte Oliveto.* III. מרחץ בית חיני IV. *Migdal Eder prope Hierosolymam.* V. *LXX Interpretes notati.* VI. *Pompa offerentium primitias.*

Ὅτε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν. Sic etiam *Lucas*; cùm per ordinem historiæ dicendum potiùs arbitreris Εἰς Βηθανίαν καὶ Βηθφαγή. Nam in itineratione sua accessit Christus ad *Bethaniam* atque ibi pernoctavit, *Johan.* xii. & ab oppido isto perrexerat, jam per spatium ferè milliaris, antequam pertingeret ad *Bethphagen*: Et tamen ab iis dicitur isto ordine, *Ad Bethphagen & Bethaniam*, ut demonstraretur historiam intelligendam esse, de loco ubi se mutuò contingunt *Bethania* & *Bethphage*: *Matthæus* ergò *Bethphagen* nominat solam.

Demonstravimus alibi fusiùs ex Talmudicis hæc duo, non parùm in hujus rei elucidationem facientia.

I. Tractum vel partem unam montis *Oliveti* dictam fuisse *Bethaniam*, non ab oppido istius nominis, ubi habitavit *Lazarus*, sed oppidum à tractu isto ita dictum fuisse, tractúmq; à *dactylis* aut *palmis* illic nascentibus בית חיני.

II. Nullum fuisse omnino oppidum nomine *Bethphage*, sed tractum alium *Oliveti* ita dictum fuisse, ob *grossos* illic nascentes בית פגי, vicúmq; aut plateam extimam *Hierosolymorum* proximè ei adjacentem, eodem nomine fuisse nuncupatam.

Observavimus etiam locum istum in monte *Oliveti*, ubi se mutuò contingerent hi duo tractus *Bethania* & *Bethphage*, distitisse ab urbe, *itinere Sabbatico*, aut circiter: quod

ut ad rem præsentem, quam tractamus, illustrandam applicetur, pauca dicantur de tali itinere.

Quousque extensi fuerint limites Sabbatici itineris, neminem latet. Et hoc etiam non lateat, emensuratum fuisse istud spatium undiquaque extra urbes, ut certi statuerentur termini, nec erraretur, & signo aliquo evidenti, notatum terminum, nè dubii hæsitarent, in re in qua situm erat apud eos tantum religionis.

Hæ regulæ magistrorum, de emensuratione bis mille cubitorum, ab unoquoque urbis latere.

*Maimon. in Shabb. cap. 28.* *Civitatem quæ longa est vel quadrata, cùm ei sint quatuor anguli justi, simunt esse ut est, & mensurant ei bis mille cubitos ab unoquoque latere.*

*Si sit rotunda, formant ei quadraturam, & mensurant à lateribus istius quadraturæ.*

*Si sit triangularis, formant ei quadraturam, & metiuntur, à lateribus quadraturæ,* &c.

Et postea. *Non mensurant nisi funiculo quinquaginta cubitorum, eóque de lino.*

Et de signis limitum innuitur per Canonem istum,

*Beçab. fol. 36. 2.* *Non equitant super bestiam* [Sabbato & die festo.] *Nè scilicet exeant ultra limites.* Ubi gloss. *Quia non pedibus ambulat* אין רואה את סימני התחומין *Non videt signa limitum.*

Dicitur à S. *Marco* quòd Discipuli duo à Christo missi Ευεγν τὸν πῶλον δεδεμένον ἐπὶ τῦ ἀμφόδυ. Liceat conjectari, fuisse eò loci, ubi statum erat signum itineris Sabbatici ab urbe, ubi se mutuò contingerent via Sabbatica ab urbe, & via communis indè in rus.

## §. II. *Taberna in monte Oliveti.*

*Hieros. Berach. fol. 16. 1.* TAbernæ *filiorum Chanan* חניות בני חנן *vastata fuerunt, triennio ante excidium Templi.*

Et

*Et quare vaſtatæ ſunt Tabernæ* [ חניות של בית חינו ] *Tῆς Beth Heno triennio ante excidium Hieroſolymæ? Quia facta ſua ſtabilierunt ſuper verba legis*, &c. Bab Metzia. fol. 88. 1.

Gloſs: *Illud quod prohibitum fuit per verba ſapientum, illi permiſſum invenerunt per verba legis.*

Eadem eſt hiſtoria utrobique: Priori loco nominantur Tabernarii, poſteriori, Tabernarum locus. Tabernarii erant בני חנן Filii *Chanan*, vel *Jochanan* [ nam Hieroſolymitanæ linguæ, *Chanan* & *Jochanan* ſunt idem. ] Locus erat בית חינו *Beth Heno*, quàm ego non vereor aſſerere eandem eſſe cum *Bethania*. Ratio audaciæ, duplex eſt. 1. Quia Talmudici *Bethaniam* vocant בית חיני *Beth Hene*, ad quam quàm prope accedit *Beth Heno*? 2. Quia aperta apud eos eſt mentio *Tabernarum in monte Oliveto*.

*Duæ cedri*, inquiunt, *erant in monte Oliveto: ſub una earũ erant quatuor tabernæ, ubi vendebantur omnia ad purificationes neceſſaria. Ex altera earũ produxerunt quadraginta ſeas columbarum unoquoque menſe, unde ſuppetebat fœminis purificandis.* Quatuor tabernæ ſub una, & quot ſub altera, unde tot columbæ? Aut aliam aliquam ergo villam oſtendo inter oppidum *Bethaniam* & primam fimbriam Τῆς Βηθφαγῆς, aut permitte credere hanc eam fuiſſe ad quam miſſi ſunt duo Diſcipuli, & quæ, tunc cùm mitterentur erat κώμη Ἠ κατέναντι ὑμῶν: aut villam ſcilicet ex variis iſtis tabernis ſolis conſtantem, aut villam cujus pars erant iſtæ tabernæ. Hieroſ. Taanith fol. 69. 2.

## §. III. מרחץ בית חיני *Lavatorium Bethanienſe.*

IGnoſce vocabulo ex neceſſitate ficto, ne ſi *Balneum* vel *Lavacrum* dixiſſem, ſenſum rei, ea nimium coarctarent: Erat locus iſte de quo agimus, ſtagnum aliquod, aut collectio aquarum, ubi lavari eſt ſolitum, & convenit optimè cum iis quæ ante dicta ſunt de purificationibus. Hic ſe lavare

poterant immundi aut immundæ, atque illio coemptis in tabernis propinquis, quæ ad purificationem erant neceſſaria, ad *Hieroſolymas* ſe conferre, & purificari in Templo.

*Bal Cholin. f. 53. 1.*

De hoc loco lotionis, qualiscúnque fuerit, loquuntur *Gemariſtæ* in hiſtoriola iſta; דרס שועל רחל במרחץ בית היני *Dilaceravit vulpes ovem ad Lavatorium Tis Beth Hene, & adducta eſt cauſa coram ſapientibus, & illi dixerunt* אין דריסה *Non eſt dilaceratio. Beth Hene* non dubitamus eſſe *Bethaniam*: Et cauſa hæc, eſt inde adducta coram ſapientibus *Hieroſolymæ*, ut ii edocerent an de cadavere iſtius ovis liceret veſci, cùm prohibita foret comeſtio beſtiæ dilaceratæ. Diſtinctionem eorum inter טריפה & דריסה vide ſi lubet loco citato, ubi fusè eam diſcutiunt.

Loquuntur peregrinantes, de ciſterna prope *Bethaniam oppidum, juxta quam oſtenditur in campo locus ubi Domino Bethaniam venienti occurrit Martha*: verba ſunt *Borchardi* monachi. An res ipſa, cum hac de qua loquimur conveniat in incerto eſt relinquendum.

## §. IV. *Migdal Eder.* מגדל עדר

OCcaſione horum locorum à Talmudicis nobis patefactorum, non poſſum non alium ex iisdem etiam obſervare, ab alio urbis latere, non longiùs ab urbe diſtantem, quàm iſte de quo egimus, ſi modò diſtabat tam longè. Eſt ille *Migdal Eder*, vel *Turris gregis*, alia ab iſta, de qua mentio, *Gen.* XXV. 21.

*Hieroſolymitani de hac noſtra ſic* בהמה שנמצא מירושלם ועד מגדל עדר לכל רוח: *Fumenta quæ reperiuntur ab Hieroſolymis uſque ad Migdal Eder, ab unoquoque latere, &c.*

*Hieroſ. Kid. fol. 63. 1.*

*Babylonici*, plenius, *Fumenta quæ reperiuntur ab Hieroſolymis uſque ad Migdal Eder, atq; eodem ſpatio ab unoquoque latere,*

*Bab. Kid. fol. 55. 1.*

*latere, masçula, sunt holocausta, fœminea, sunt sacrificia pacifica.*

Agitur eò loci & disputatur à magistris, an liceat fœminam desponsare, oppignoratâ in rei fidem re sacratâ. Et de jumentis repertis inter *Hierosolymam*, & *Migdal Eder*, atque eodem spatio undiquaque circa *Hierosolymam*, concludunt, reputanda ea pro sacratis. *Quippe quod* [ut glos.] *supponi potuit, ea ex Hirosolymis fuisse evagata, plurima enim jumenta inde exeuntia erant sacrificanda.*

Non dissimilem traditionem habent ut diximus ante de nummis repertis intra *Hierosolymam*. *Nummi qui reperti sunt in Hierosolyma coram mercantibus pecora, semper sunt decimæ. &c.* Bava Metzia fol. 26.1.

At ad rem nostram. E verbis allegatis elicimus, fuisse turrim vel locum nomine *Migdal Eder*, modico admodum spatio à *Jerosolyma*, eúmque situm à latere urbis meridionali. Modico, inquam, spatio ab *Hierosolyma*: nam gravamen fuisset incolis urbem circùm habitantibus non ferendum, si errabundi quâvis occasione boves eorum, aut pecora, atque in vagatione sua deprehensa, illico transirent in sacrata, nec amplius essent de proprio jure possessoris. At videtur hæc turris adeo vicina urbi sita, ut nullum intra illud spatium foret oppidum, undiquaque; Dicimus etiam turrim istam fuisse ab ora urbis meridionali: Idque fide dicam? an errore LXX Interpretum?

## §. V. LXX. *Interpretes notati.*

Ænigma hîc tibi solvam lector apud LXX. in *Gen.* xxxv.

APud *Mosen* sic se habet historia *Jacobi* isto in loco. Profecti sunt à *Bethele*, cùmque jam foret spatium exiguum ad *Ephratham* peperit *Rachel*, &c. Et postea, *& profectus est Israel, & tetendit tabernaculum suum trans turrim Eder.*

Ordinem

Ordinem historiæ invertunt LXX: & castrametationem Jacobi *trans Migdal Eder* statuunt ante accessionem ejus ad locum ubi mortua est *Rachel*. Ità enim illi. Ἀπάρας δὲ Ἰακὼβ ἐκ Βαιθὴλ, ἔπηξε τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδέρ. Ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν εἰς Χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς τὴν Ἐφραθᾶ, ἔτεχε Ῥαχήλ, &c.

Subolet mihi, ni fallat conjectura, ordinem historiæ eos invertisse, intentis oculis in istam *Migdal Eder* quæ vicinissima *Hierosolymis*. Nam proficiscenti *Jacobo* à *Bethele*, ad locum sepulturæ *Rachelis*, prætereunda primùm erat arx ista, priusquam ad locum illum perveniretur, cúmque *Jacobus* in itinere suo tenderet ad Austrum, ab ea urbis ora fuisse turrim istam est verisimillimum.

Erat quidem *Migdal Eder* prope *Bethlehemum*, erat & hæc prope Hierosolymam, & erant forsan plures ejus denominationis in terra *Israelitica*. Nam ut vox ipsa, *Turrim Gregis*, denotat, sic videntur turres istæ exstructæ fuisse, in custodias gregum, ut scilicet illic in promptu essent pastores, etiam nocte, atque in promptu pastoribus essent tela, queîs greges tutarentur non à feris solùm sed à latronibus. Et in hunc sensum sumendam esse arbitramur Phrasiologiam istam מגדל נוצרים *Turris custodientium* in locutione ista ממגדל נוצרים עד עיר מבצר *A turre custodientium ad civitatem munitam*. II *Reg*. xvii. 9. & xviii. 8.

Hinc Targumista *Jonathan*, ut *Migdal Eder Bethlehemiticam* ab aliis omnibus distinguat, verba *Mosis* sic παραφράζει. *Et profectus est Israel, & tabernaculum suum tetendit trans Migdal Eder, locum unde revelandus est Messias in fine dierum*. Quæ optimè conveniunt cum historia *Luc*. ii. 8. De eadem an loquatur *Michæas* cap. iv. 8. quære.

## §. VI. *Pompa offerentium primitias.*

EGimus de locis propinquissimis urbi, excitatâ nobis earum mentione à triumpho Christi asino insidentis & accla-

acclamantis populi: excitant & hæc memoriam pompæ illius, quæ primitiarum adductionem comitata est, à locis etiam urbi vicinis: Eam habe verbis magistrorum loco ad marginem.

*Qualinam modo adduxerunt primitias suas? Omnes urbes* שכמעמד *quæ erant unius stationis* [i. e. ex quibus prodiit una ἐφημερία Sacerdotum] *collecta sunt in urbem stationariam, & pernoctârunt in plateis: Manè is qui primus inter eos fuit, dixit, Exurgite, ascendamus ad Zionem, ad domum Domini Dei nostri.* Bicurim cap. 3.

*Bos antecessit ante ipsos, cornibus deauratis, & coronâ in capite oleaginâ.* [Gloss. Bos iste erat in sacrificium pacificum] *Cecinit & tibia ante eos usque dum appropinquarent Hierosolymæ: Cùm appropinquatum foret Hierosolymæ, coronârunt primitias suas* [i. e. speciosas quantum fieri potuit, conspectui expositerunt.] *Et prodierunt in occursum iis Primates & summi officiarii, & thesaurarii Templi, idq; in honorem accedentium:* וכל בעלי אומנויות *Atque omnes opifices in Hierosolyma exurrexerunt iis* [in officinis suis] *atq; eos salutârunt hoc modo, O fratres nostri incolæ urbis N. grati advenistis.*

*Tibia coram iis cecinit usq; dum perventum foret in montem Templi: Cùm perventum foret in montem Templi* אף אגריפס המלך *Etiam ipse rex Agrippa, canistrum suscepit in humerum suum, & progressus est dum perveniret ad atrium: cùm perveniret ad atrium, Levitæ occinuerunt, Exaltabo te Domine quia exaltâsti me, & non lætificâsti inimicos meos de me* [Psal. xxx. 1.] *Dum adhuc canistrum est in humero ejus recitat Periochen istam* [Deut. xxvi. 3.] *Profiteor hodie Domino Deo meo,* &c. R. *Judah dicit. Cùm hæc verba recitat, Aramæus periturus erat pater meus,* &c. v. 5. *demittit canistrum ab humero, & labiis tenet dum Sacerdos illud huc illuc agitat: Recitatâ totâ periochâ* ad ver. 10. *canistrum disponit juxta altare, & adorat & exit.*

CAP.

## CAP. V.

*Dalmanutha.* Marc. viii. 10.

I. *Schema maris Geneſaritici & locorum adjacentium.*
II. בית דאלמנותא *Zalmon. Inde Dalmanutha.*

MAtth. xv. 39. Ἦλθεν εἰς τὰ ὅρια Μαγδαλά,
Marc. viii. 10. Ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά.

Una eadémque eſt hiſtoria: atque una eadémque iſta regio; at nomina *Magdala* & *Dalmanutha* non ita confundenda, ac ſi urbs *Magdala* vocaretur etiam *Dalmanutha*, ſed ſupponenda eſt *Dalmanutha*, fuiſſe locum aliquem particularem intra limites *Magdalenſes*. Obſervo interpretem Arabem editum in Bibliis Polyglottis *Londinenſibus*, pro *Dalmanutha* apud *Marcum*, legere *Magdalam*, prout eſt apud *Matthæum*; ſenſu non falſo ſed interpretatione non vera. Aſt Arabs editionis *Erpenianæ* legit *Dalmanutham*. *Annotat Eraſmus*, inquit *Beza* in locum, *quendam Græcum codicem habuiſſe Magdala. Auguſtinus autem ſcribit pleroſque codices habuiſſe Mageda. Sed in noſtro vetuſtiſſimo & alio præterea codice pro* εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθὰ *ſcribitur* εἰς τὰ ὅρια Μαγεδά.

Si nomen & ſitus *Magdalæ* apud Talmudicos, interpretibus hiſce fuiſſent nota, vix puto, in tot incertitudines impegiſſent: De ea fusè & planè egimus alio volumine, ex iſtis authoribus: Ex iiſdem, ni hallucinemur, aliquid etiam erui poteſt quod lucem præbeat textui *Marci* de *Dalmanutha*. Quam rem priuſquam aggrediamur, non ingratum forſan lectori fuerit, Si mare Geneſariticum, locáque ei adjacentia, ſecundùm ſitum eorum quem ex ſcriptoribus Hebræis colligimus delineatione aliqua, rudi licèt, deſcribamus.

§. I. *Sche-*

§. I. *Schema maris Geneſaritici, & locorum adjacentium.*

Collatâ hâc tabellâ meâ cum aliis, cùm eam tam grandi differentia in diversum ire videris, expectabis ut situm locorum probè probem & illustrem, aut tulero ignominiam. Id feci, ni fallat sententia, jam pridem in capitibus quibusdam in Centuria Chorographica. Summam totalem paucis lineis hìc expediam.

*Megill fol. 6. 1. Hieros. Erubbin fol. 23 4 Id. Kidduſh. fol. 64. 3. Id. Shev. fol. 36 3.*

I. *Chammath ſic dicta eſt propter Thermas Tiberiadis: à qua tantillum diſtabat, ut quoad iter Sabbaticum Tiberienſes & Chammathenſes conſtituerent civitatem unam.*

Vocatur חמתא גדר *Chammath Gadaræ*, non ſolum ut diſtinguatur ab חמת רפחל *Chammath Pellæ*, id eſt *Callirrhoe*, ſed quòd pars etiam ejus condita foret in Ripa *Gadarena*, ut & pars altera in Ripa *Nephthalitica*, vel *Tiberienſi*, interjacente ponte: quod oſtendetur illico.

*Megil. ubi ſupra.*

*Tiberias* ſtetit contigua mari, *nam ab uno latere mare erat ei pro muro.*

*Geneſaritis erat locus vicinus Tiberiadi ubi horti & paradiſi.* Verba ſunt *Aruch.*

*Capernaumum* collocamus intra regionem *Geneſaritin* fide Evangeliſtarum, *Mat.* xiv. 34. & *Marc.* vi. 53. collatorum cum *Johan.* vi. 22, 24.

*Joſ. in vit. ſua.*

*Tarichæa* diſtabat *Tiberiade* xxx ſtad. *Bethmaus* iv ſtad.

*Hieroſ in Erubb. ubi ante.*

*Magdala* erat ultra *Jordanem*, nam vocatur מגדל גדר *Magdala Gadaræ*; Et illud quod à Talmudicis dicitur, *Licuit Gadarenſibus, permittente R. Juda Naſi, deſcendere in Chammatham Sabbato, atque eam perambulare uſque ad vicum extimum, uſque ad pontem*: ab ipſis ibidem exprimitur & explicatur, *Quòd Magdalenſes, permittente R. Juda Naſi, aſcenderunt in Chammatham*, &c. E qua una traditione elicias, 1. *Magdalam* fuiſſe in ripa *Gadarena*, 2. Non diſtitiſſe à *Chammatha* ultra iter Sabbaticum. 3. Ab iſta ſcilicet parte *Chammathæ* quæ condita erat ab eadem ripa *Gadarena*, per quam porrectum eſt ad pontem ſupra *Jordanem*

*nem*, qui eam junxit parti alteri in ripa Galilææ.

*Distabat Hippo Tiberiadi* xxx ſtad. Qua cum menſura confer hæc quæ dicuntur de *Suſitha*, quam eandem eſſe cum *Hippo*, & vocum notatio, & alia evincunt. *Joſ. in vita ſua.*

*R. Juda* dicit, *Monoceros non intravit in Arcam Noachi, ſed catuli ejus intraverunt. R. Nehemiah* dicit, *Nec ipſe, nec catuli ejus intraverunt, verùm Noachus eum alligavit ad Arcam* והיה מהלך הרמיון *atque is ſulcavit ſulcos in undis* כמין טבריה לסוסיתא *per quantum ſpatii eſt à Tiberiade ad Suſitham.* *Bereſhith rab. ſect. 31.*

Et rursùs, *Arca Noachi natavit ſuper aquas ſicut ſuper duo tigna* כמין טבריה לסוכיתא *per quantum ſpatii eſt à Tiberiade ad Suſitham.* *Ibid ſect. 32*

Diſtabat *Gadara* Tiberiade, Sexaginta ſtadiis. *Joſ. ubi ante.*

*Bethſaida* erat in τῇ χώρᾳ Γαυλανιτικῇ, trans Jordanem in *Batanæa*: oſtenditur ea peregrinantibus ad littus *Geneſaritici* maris in Galilæa, atque inde hauſtus error tabularum. Audi *Biddulphum* noſtratem, qui loca iſta inviſit circa annum 1600, Anglicè quidem loquentem, at quem Latio ſic donamus. *Id. de bell. lib 2. ca. 13.*

*Martii 24to equitavimus juxta mare Galilææ, quod* Joh. vi. *ubi nominatum eſt, mare ſcilicet Galilææ & Tiberiadis. Galilææ, quia eſt in Galilæa; Et Tiberiadis, quia juxta illud condita erat urbs Tiberias: Itemque Bethſaida urbs alia antiqua. Ambarum vidimus aliquas mœnium ruinas. Dicitur autem in iſto capite* Joh. vi. 1. *quòd Ieſus transfretavit mare Galilææ. Atque alibi quòd abiit trans lacum. Et* Luc. ix. 10. *dicitur quòd diſceſſit in locum deſertum vicinum urbi Bethſaidæ. Quem textum Johannis, ego intuendo meliùs intelligere didici quàm unquam potui legendo. Nam cùm Tiberias & Bethſaida forent ambæ ab eodem littore maris, abiitque Chriſtus à Tiberiade, ad, vel propè Bethſaidam: Inde ego colligo, quòd Salvator noſter Chriſtus, non transfretârit longitu-*

*gitudinem aut latitudinem maris, ſed quòd ſinum aliquem transierit, quantum diſtat Tiberias à Bethſaida. Quod & inde aſtruitur, quòd alibi dicitur, Quòd turba magna eum illuc ſequuta eſt pedibus: quòd facere non poterant, ſi is totum mare transfretâſſet ad aliud littus inter Gergaſenos, quòd eſt extra terram ſanctam.* Hæc ille.

At cave vir digniſſime, nè duces tui qui loca iſta ſub illis nominibus oſtendunt, tibi imponant. Si ducem *Joſephum* ſequi velis, docebit ille, *Philippum, Oppidum Bethſaidam reſtaurâſſe, eámque de nomine Juliæ, filiæ Cæſaris vocâſſe Juliada*; Iſtamque *Juliada* fuiſſe Ἐν τῇ ἄνω Γαυλανιτικῇ. Nec valet argumentum, *Aliter non potuerunt eum pedibus ſequi.* Nam à *Capernaumo*, & *Tiberiade* erat via tritiſſima & frequentatiſſima, per pontem *Chammathæ* in regionem *Gadarenam*, atque ita ad *Bethſaidam*,

*Id. Antiq. lib 18. ca. 3.*

*Id. ubi ante.*

*Id. in vita pag 631.*

*Cana* diſtabat longè à *Tiberiade*, totam noctem inſumſit *Joſephus* ab illa ad hanc itinerans cum exercitu: Sita erat ex adverſo *Juliadi Betharamphthæ*, ut ex eodem colligi poteſt loco citato ad marginem, *Julias* autem iſta ſita erat ad ipſum influxum *Jordanis* in mare *Geneſariticum.*

*Ibid. p. 653.*

Hæc fuſiùs pandi & illuſtrari poterant, ſed veremur à prolixitate, idque magìs, quia copiosè de his actum eſt alibi: Satìs hæc erunt æquo lectori, cujus judicio ea ſubjicimus: & jam pergimus ad *Dalmanutham.*

## §. II. בית דאלמנות *Zalmon. Inde Dalmanutha.*

SI de nomine *Dalmanutha* luſitare aliquantum liceat, audi traditionem Talmudicam.

*Bava bathr. fol. 98. 2.*

*Qui vendit fundum vicino ſuo, aut qui accipit locum à vicino ſuo* לעשות לו בית חתנות לבנו ובית אלמנות לבתו: *ut faciat ſibi domum ſponſationis filio ſuo, aut domum viduitatis filiæ ſuæ, ædificet eam quatuor cubitis hàc, & ſex illàc.*

Gloſſ.

Gloſs: בית אלמנות לבתו *Domum viduitatis filiæ ſuæ, cujus maritus mortuus eſt, atque ea jam redit ad domum patris ſui.*

Animus traditionis hic eſt. Cùm filius cujuſvis uxorem duxerat, cum ſocero ſuo cohabitare non eſt ſolitus, ſed uſitatiùs erat, ut pater ejus domunculã ei ædificaret domui ſuæ vicinam. Sic etiam cùm mortuus eſſet maritus, redirétque filia jam vidua ad patrem, in more etiam fuit, ut pater domunculam ei ſtrueret, in qua, ea ſola quidem habitaret, at patri viciniſſima.

Jam ergò, à domo aliqua ejus generis notabiliori, viduæ alicui celebri conſtructa, aut à pluribus iſtiuſmodi confertim illic ſtantibus dici potuit locus forſan דאלמנותא *Locus viduitatis, & ſi non aliqua probabilior notatio nominis occurreret, huc poſſet reſpici non immerito.*

Aſt aliunde deductum nomen arbitramur, nempe à voce צלמון *Zalmon* צ *Tſadi* in ד *Daleth* immutato, quod Syris & Arabibus non eſt alienum.

De *Zalmon* occurrit mentio, *Judic* ix. 48. monte Scilicet aut tractu aliquo in monte, prope *Sychemum*: verùm longiſſimè aberat iſte locus ab eo de quo jam agimus. At memoratur à *Talmudicis* locus *Zalmon*, qui optimè congruit cum *Dalmanutha.*

*Hiſtoria* eſt inquiunt, *de homine quodam in* Zalmon, *qui dixit. Ego* N. Filius N. *morſus ſum à Serpente & ecce morior. Abierunt & non invenerunt eum: abierunt ergo & duxerunt uxorem ejus.* Gloſs, *Audierunt vocem clamantis & dicentis, Ecce ego morior, at non invenerunt talem hominem in* Zalmon. *Jevamoth. fol. 122. 1.*

Et rurſus. *Hiſtoria eſt in* Zalmon *de homine quodam, qui plantavit vineam ſuam ſedecim & ſedecim cubitos, & portam duorum ordinum vitium, vertit jam ab hoc latere, & anno inſequenti ab alio, & aravit utrobique. Et adducta Kilaim. ca. 4. hal. 9. Bava. bath. fol. 82. 2.*

eſt

*eſt cauſa coram ſapientibus, atque illi approbârunt.*

Nemo ſuſpicabitur hanc *Zalmon* eandem eſſe, cum ea prope *Sichemum*, cùm dictum ſit quòd *adduxerunt cauſam coram ſapientibus*, nam quid *Samaritæ* cum ſapientibus *Judæorum*? Quin potiùs credas fuiſſe locum aliquem vicinum *Tiberiadi* [ ubi Academia Sapientûm ] notum ſatis, & vulgaris famæ; & in traditionibus citatis memoratum, ut ita notum. Sic memorantur à *Talmudicis* varia loca circa *Tiberiada*, ut notiſſima, quæ tamen extra paginas *Talmudicas* vix uſpiam inveneris. Talia ſunt *Chammath*, *Magdala*, *Beth Meon*, *Paltathah*, *Caphar Chittaia*, *&c.* de quibus diximus alio in loco. Erant & מזגרה *Mizgah*, Sedes *Simeonis* ben *Lachiſh*, & אילטיס רטבריא locus prope *Tiberiada* auræ inſalubris, & בוטיטרה רטבריא *Spelunca Tiberienſis* & בר טליני *Bar Selene*, aliáque quæ nuſpiam niſi apud hos authores occurrunt memorata, at apud eos notiſſimi nominis. Ex iſthoc numero arbitramur fuiſſe hanc *Zalmon*, locum adeò *Tiberiadi* vicinum, adeóque notum, ut ſat foret iis nominâſſe tantùm. Jam verò dum *Hebraizans* quiſquam pronuntiaret *Zalmon* & *Zalmanutha*, *Syriſſans* proferret *Dalmon* & *Dalmanutha*.

*Bereſh. rab.* §. 34.
*Ibid.* §. 31.
*Hieroſ. Heraioth. fol.* 48. 1.

---

## CAP. VI.

Ὅεια Τύρου καὶ Σιδῶνος. Marc. vii. 24.

I. *Tabulæ nimis officioſæ.* II. כבול Ὅριον. III. *Interpretes Græci notati.* IV. *Phœnicia Mediterranea.* V. *De Fluvio Sabbatico.*

VIdes in tabulis nonnullis, pingi fœminam *Syrophœniſſam* Salvatori ſupplicantem, pro filia ſua Dæmoniaca, ad portas fere *Sidonis*. At quo jure, vereor nè ſolidè ſatis non dixerint authores.

In

In una *Adrichomii*, pingitur fœmina tantùm, nulla addita inſcriptione: At in Belgicâ *Doeti*, cum hac, *Hier badt de Cananeiſche Urou voor her dochter*, Matt.15. In *Geilkirchiana*, his aſcriptis verbis, *Porta Sidonis, ante quam mulier Canaanæa filiæ ſuæ dæmoniacæ à Domino ſalutem obtinuit*, Matth. 15.

*Ante januam Sidonis* [inquit *Borchardus* monachus] *ad ortum, conſtructa exiſtit capella, in loco ubi Chanaanæa pro filia dæmoniaca precata eſt Salvatorẽ: de qua ſic legimus*, Matt. 15. *quòd egreſſa à finibus* Tyri & Sidonis *venit ad Jeſum.* Borchar. cap. 2. §. 8.

Duo ſunt quæ planè cum ſitu, et ſententia iſta pugnant.

I. Quòd non ſit credibile, Chriſtum unquam limites terræ Iſraeliticæ exceſsiſſe: Nam cùm de ſe dixerit, *Ego miſſus ſum ad oves perditas Iſraelis tantùm*; et Diſcipulis, *Nè eatis in viam gentium, & ſi hæc opera miraculoſa facta fuiſſent in* Tyro & Sidone, nunquam perſuaſeris eum unquam ad ipſas portas *Sidonis* perrexiſſe.

II. Dicitur à S. *Marco*, quòd poſt ſanatam iſtam puellam, Chriſtus pervenit *à finibus* Tyro-Sidonis *ad mare* Galilææ, *per medios fines* Decapoleos. Quid? à porta *Sidonis* ad mare *Galilææ* per mediam *Decapolin*? Aptiùs diceretur, *Per mediam Galilæam*: et hinc, ut videtur, moti, ſtatuerunt nonnulli *Decapolin* intra *Galilæam*, nullo jure. Nos eam comperiemus alio in loco, capite proximè ſequenti, locóque tali, ut non facilè concipias, quonam modo potuerit Chriſtus ad mare *Galilææ* per eam tendere, à porta *Sidonis*.

## §. II. כבול. Ὅριον.

UT de Ὅρίοις Τύου καὶ Σιδῶνος, in hac hiſtoria determinetur hoc primùm lectori proponimus.

Dicitur in i. *Reg.* ix. 11, 12. Quòd Solomon *dedit regi* Tyriorum *Chiramo viginti civitates in* Galilæa, quas cùm vidiſſet ille, et non placerent, *vocavit terram* כבול Chabul,

in

*in hunc usque diem.* LXX reddunt, Ἐκάλεσεν αὐτὰς Ὅριον, *Vocavit eas* Terminum. Jam dicat mihi quæso aliquis linguarum peritus quidnam cognationis inter כבול, & Ὅριον, unde moti *Septuaginta*, ut ità redderent.

Talmudici varia de voce כבול: at sensus & significatio vocis Ὅριον longissimè abest ab eorum mente.

Hieros. Schabb. fol. 7. *Hierosolymitani* sic. כבול ארץ שאינה עושה פירות Chabul *terram significat quæ non fert fructus.*

Bab. Shabb. fol. 54. 1. *Babylonici* sic, *Quid sibi vult terra* Chabul? Rabh Houna *dicit, Quia incolæ ejus* מכובלין בכסף ובזהב *erant involuti argento & auro. Dicit ei* Abba, *An ita? Ecce scriptum est, quòd non placuerunt ei urbes. An displicerent ei quòd involuti forent argento & auro? Dicit ei, imò, nam quia opulenti & delicati erant, non erant idonei ad opera regis.* Rabb. Nachman *bar* Isaac *dicit* חומטון היתה *Terra salsa & fissuris hians erat. Quare vocatur* Chabul? דמשתגרא בה כרעא עד כבלא *Quia mergitur in ea crus usque ad periscelides.*

*Josephus* Ἔκτοτε προσηγορεύθησαν χαβαλῶν γῆ· Μεθερμηνευόμενον γὰρ τὸ χαβαλῶν, κατὰ Φοινίκων γλῶτταν, οὐκ ἀρέσκον σημαίνει.

Hæc illi, sensum vocis, quantum possunt, investigantes, at de sensu Ὅριον, nè somnium quidem apud eos.

Præterire non possum, quin animadvertatur Glossatorem ad locum, apud *Babylonicos* citatum, hæc dicere. בעשרים ושתים עיר שנתן שלמה לחירם משתעי קרא *Textus allegatus loquitur de viginti duabus civitatibus, quas dedit* Solomon Chiramo: Numerat ille *viginti duas*, cùm in fonte Hebræo, atque in omnibus versionibus, memorentur tantùm *viginti civitates.* An lapsus sit memoriâ, an hoc dicat ex instituto, quis definierit?

Minùs prætereunda sunt verba ista Sp. S. ii. *Paral.* viii. 2. והערים אשר נתן חורם לשלמה בנה שלמה אותם: Grammatica interpretatio est facillima, *Atq; urbes quas dedit* Churamus Solomoni, *condidit* Solomon; at interpretatio

tatio hiſtorica, non adeò facilis: Nam quæritur an iſtas urbes dederit *Chiramus* de proprio, an iſtas reddiderit, quas dederat ei *Solomon*, non bene placentes. Et ſunt verſiones nonnullæ, quæ vocem נתן non reddunt *dedit*, ſed *reddidit*, in hunc ſenſum, urbes quas Chiramus Solomoni *reddiderat*, Solomon condidit. Ac ſi *Hiramus* viginti iſtas urbes, in terra *Chabul*, ideò quod diſplicerent, retinere noluiſſet, ſed *Solomoni* reddiderit cum aliqua indignatione.

Rectiùs *Quimchius* in locum. *Optimè exponitur*, inquit, *quod dedit Hiramus civitates* Solomoni *in terra ſua, & locavit ille illic Iſraelitas ut ſe roboraret. Et dedit pariter ille civitates Hiramo in Galilæa, & hoc, ut fœdus inter eos roboraret. In libro Regum memoratur, quid dederit* Solomon *Hiramo: & in hoc* [ Paralip. ] *quid Hiramus* Solomoni. Veriſſimè certè: Nam *Hiramum* urbes aliquas in ditione ſua dediſſe *Solomoni*, ex illo patet ultra omnem controverſiam, quòd *Solomon* dicitur condidiſſe *Tadmor* in eremo: 1 *Reg.* ix. 18. Quiſnam autem iſte locus *Tadmor*? Docebit *Joſephus*, Θαδμώραν inquit ille, Ἕλληνες προσαγορεύουσι Παλμυρὰν: Et interpr. Vulg. *Ædificavit Palmiram.* Nequaquam ergo cenſeas *Hiramum* urbes ſibi à *Solomone* datas rejeciſſe, ütcunque non placerent, ſed pro ſuis retinuiſſe, quod & fecit *Solomon* cum iis, quas dedit ei *Hiramus*. At unde locum iſtum כבול Interpretes Græci redderent Ὅριον, cùm nulla omnino inter ſignificationes vocabulorum ſit affinitas?

*Joſ. antiq. lib. 8. cap. 2.*

## §. III. *Interpretes Græci notati.*

SOliti ſunt Interpretes Græci, nomina locorum reddere, non rarò, non eo nomine quo vocantur in textu Hebræo, ſed quo nuncupabantur temporibus poſterioribus ſub templo ſecundo: quod & à Chaldæis Targumiſtis

eſt etiam factum non rarò. Hujus farinæ ſunt Καππάδοκες pro *Caphtorim*. Ῥινοκόρουρα pro *Fluvio Ægypti*, de quibus diximus ante, & inter plurima quæ proferri poſſent exempla, locum unum ex Talmudicis cum iis conferamus.

*Hieroſolymitani*, urbes quaſdam quarum mentio in *Joſu.*xix. & vetuſtis & præſentibus nominibus appellantes, ſic aiunt ad ver.15.

*Hieroſ. Megil. fol. 70. 1.* קטרת קטונית: *Kattath eſt Katonith.* LXX reddunt Καταθά.

נהלל מחלול *Nahalal eſt Mahalol.*

שמרין סימוניה *Shimron eſt Simonia.* LXX reddunt Σαμαών.

ירואלה חיריה *Irala eſt Chiriah.* LXX reddunt Ἰεριχώ.

Plurima occurrent obſervanti: Atque ex hac ipſiſſima re ſubolebit forſan tibi, verſionem iſtam non redolere vetuſtatem temporum *Ptolemæi Philadelphi.*

Idem quod facere ſoliti ſunt illi aliàs, factum & hîc ab iis arbitramur, eoſque rejecto priſtino nomine quo vocabatur regio iſta *Galilææ*, ſæculis vetuſtioribus, nempe *Chabul*, nomen & titulum quo jam vulgò audiit ei indidiſſe, Ὅριον *Terminum.*

*Hieroſ. Demai. fol. 22.4.* תחום ipſiſſimum idem denotare ſuſpicio mihi eſt, in traditione iſta apud *Hieroſolymitanos*, אילו עיירות אסורות בתחום *Iſtæ urbes prohibentur* Ἐν τῷ Ὁρίῳ. *Tſur, Shezeth, & Bezeth*, &c. אילו עיירות שהן מותרות בתחום *Et iſtæ urbes permittuntur* Ἐν τῷ Ὁρίῳ *Nebi, Tſur, Tſiar*, &c. Permiſſio & prohibitio de qua agitur, quantùm conjecturâ è ſcopo loci elicere licet, eſt quoad decimationem: & determinatur, à quibus iſtarum urbium exigendæ & accipiendæ eſſent decimæ, & à quibus non. Ab Iſraeliticis exigendæ, ab Ethnicis non: quæ res optimè convenit cum terra *Chabul*, ubi mixtæ & quaſi intertextæ videntur fuiſſe urbes hujus & illius juris.

§. IV.

## §. IV. *Phœnicia Mediterranea.*

ERat *Phœnicia Mediterranea*, æquè ac erat *Phœnicia Maritima*. Maritimam nôrunt omnes, De Mediterranea sic *Ptolomæus*.

Φοινίκης μεσόγειοι πόλεις Ἄρκα, Παλαιόβιβλος, Γάβαλα, Καισάρεια Πανίας. *Phœniciæ civitates Mediterraneæ sunt Arca, Palæobiblus, Gabala, Cæsarea Paniæ.* Tabb. Asiæ. pag. 139.

An *Phœnicia Mediterranea* & *Syrophœnicia* sint convertendæ, hæsito dubitans. Mallem equidem *Phœniciam* tripartiri in *Maritimam, Mediterraneam & Syrophœniciam*, quam nudè bipartiri in *Phœniciam & Syrophœniciam*. Ratióque est, quia quæro an tota *Phœnicia Mediterranea* dici potuerit *Syrophœnissa*: & quæro insuper an tota *Syrophœnicia* reputanda fuerit intra fines *Tyro-Sidonios*. *Nicetas* certè *Choniates*, civitates *Syrophœnissas* usque ad *Antiochiam* memorat. Nam ille in historia *Johannis Comneni* hæc habet.

Ἔγνω προσβαλεῖν ταῖς παρὰ τὴν Ἀντιόχου ἱδρυμέναις καὶ Ἀγαρηνῶν κατεχομέναις Συροφοινίσσαις πόλεσι. *Antiochiæ finitimas Syrophœnissas urbes, quæ ab Agarenis tenebantur aggredi statuit.* Jam verò, an urbes istas ad *Antiochiam* usque, intra ditionem *Tyro-Sidoniam* numerabis? At certè nihil prohibet quò minus istas quæ à Ptolemæo, *Phœniciæ Mediterraneæ* habentur ita æstimes, nisi hæreat scrupulus solùm de *Cæsarea Paniæ*, quæ *Cæsarea Philippi*: eaque, ut videbimus, erat de *Decapolitanis*, & absque ullo absurdo statui potest intra istam ditionem *Tyri & Sidonis* quod & *Leshem* olim, quæ urbs eadem. *Judic.* xviii. 28. Nicet. Chon. p. 30.

Addatur Talmudicorum clausula una, & tunc ea quæ dicta sunt, in epitomen compingantur. Illi limites terræ sub templo secundo definientes, cùm ad oras Aquilonares perveniunt, pro limite statuunt תרנגולא עילאה

Hieroſ. Sheviith. fol. 36.3. תרנגולא מן קיסרין *Tarnegolam ſuperiorem quæ eſt ſupra Cæſaream.* Adverte *Cæſaream* eſſe urbem *Phœniciæ Mediterraneæ*, ſecundùm Ptolemæum, & tamen *Tarnegolam* quæ magis vergit in Aquilonem, eſſe intra terram *Iſraeliticam* ſecundùm Hebræos.

Ita ut hoc ſenſu, Chriſtus potuerit eſſe intra Ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος, & tamen eſſe intra limites terræ Iſraeliticæ. Arbitrandum ergo, idque non ſine ratione, eum cùm ſanaret puellam Dæmoniacam fuiſſe, 1. In regione iſta in extremis Galilææ oris, quæ olim *Chabul*, τῆς LXX Ὁρίου, Talmudicis תחום audiit, quæ olim data fuit à *Solomone* Regi Tyriorum, & ex iſta conceſſione in ſæcula ſubſequentia juris & ditionis *Tyro-Sidoniæ* erat, utcunque intra terminos iſtos quibus ab initio circumſcribebatur terra Iſraelitica, imò quibus ſub templo ſecundo. 2. Fuiſſe eum arbitramur non longè à fontibus aut fluento *Jordanis*, quo trajecto non potuit ad mare *Galilææ* pervenire niſi per regionem *Decapolitanam.*

## §. V. *De Fluvio Sabbatico.*

Non longè, cùm de Syrophœnicia loquimur, indè abſumus ubi vel erat, vel eſſe fingebatur *Fluvius Sabbaticus:* & Ignoſces ſpero lector, ſi extra metas jam noſtras aliquantum exſpatiemur, inviſuri Fluvium Sabbatizantem, nam quis à via ſua non declinaret ut rem videat tam ſtupendam?

Et tamen, ſi Plinio credimus, extra cancellos non ſumus, nam ſtatuit ille hunc fluvium intra Judæam. *In Judæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus ſiccatur.* Joſephus aliter, *Titus*, inquit, [ Antiochiam tendens ] *vidit in itinere fluvium cognitione digniſsimum: Is fluit medius inter Arcæas & Raphanæas Agrippæ regni civitates. Habet autem peculiarem naturam. Nam cùm ſit, quando fluit multus,*

Nat. hiſt. lib. 31. c. 2. Joſ. de bell. lib. 7. c. 23.

*multus, nec ſegniter labens, tamen totus à fontibus per ſex dies deficiens, ſiccum exhibet locum. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur. Atque hunc ordinem eum ſemper ſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam* Sabbaticus *appellatus eſt, à ſacro ſeptimo die Judæorum.*

Utri credis lector? *Plinio*, Rivus iſte eſt in *Judæa*; *Joſepho*, Non. *Plinius* Sabbatis ſiccari ait, *Joſephus* Fluere. Conſentiunt cum *Plinio* Talmudici, & non convenit *Joſepho* cum ſuis.

In tractatu *Sanhedrin* Babylonico introducitur *Turnus Rufus* hoc quærens à *R. Ahibah.* מי ייטר האירנא שבתא. *Quis probaverit quod hic dies eſt Sabbatum?* [ Gloſſ. Nam fortè dies aliquis è reliquis eſt Sabbatum. ] *Reſpondit R. Ahibah.* נהר סבטיון יוכיח *Fluvius Sabbaticus hoc probabit* בעל אוב יוכיח *Pythonicus hoc probabit.* וקברו של אביו יוכיח *Et ſepulchrum patris hoc probabit.* *Sanhed. fol.* 65. 2.

Gloſſ. *Fluvius Sabbaticus probabit. Iſte eſt fluvius ſaxoſus: qui omnibus diebus ſeptimanæ fluit & labitur, at Sabbato intermittit & quieſcit. Pythonicus probabit. Nam Pytho non aſcendit Sabbato. Et ſepulchrum patris Turni Ruſi omnibus diebus anni emiſit fumum, quia judicatus fuit & traditus igni: at tranſgreſſores in Gehenna quieſcunt Sabbato.* Sepulchrum ergo ejus non emiſit fumum Sabbato.

Nonne ſubolet tibi lector unde & quare excogitatum eſt hoc commentum? Nempe cùm jam ortus eſſet ſplendor Sabbati Chriſtiani creſceretque indies, ad monſtra hæc vel magiæ, vel fabularum eſt recurſum, quibus obſcuraretur Sabbati noſtri gloria, & illuſtraretur Judaici; veritatem hiſtoriæ in ſuſpicionem inducunt, variæ & quidem contrariæ hiſtoricorum relationes:

CAP.

## CAP. VII.

*Regio Decapolitana quænam.* Marc. vii. 31.

I *Ea à nonnullis malè disposita.* II *Scythopolis, olim* בית שאן *una ex urbibus Decapolitanis.* III *Item Gadara, & Hippo.* IV *Et Pella.* V *Caphar Tsemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.* VI. *Cæsarea Philippi.* VII *Urbs* ערבו

§. 1. *Regio Decapolitana à nonnullis non bene disposita.*

Occurrit frequens mentio *Decapoleos* apud Evangelistas, ut & apud exteros authores: at nuspiam majori cum sensûs difficultate quàm apud verba ista, S. *Mar. cap.* vii. ubi de Christo sic dicitur Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος, ἦλθε πρὸς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. Difficultas in hoc latet, quod supposito, quod, per fines *Tyro-Sidonios*, intelligendus est locus prope portas *Sidonis*, de quo antea, vix concipi potest quomodo Christus per mediam *Decapolin* perrexerit ad mare *Galilææ*, nisi supposito etiam quod *Decapolis* fuerit intra *Galilæam.*

*Borchard. c. 6 §. 6.* Hinc ducti certe videntur *Borchardus*, aliique eum sequuti, ut hæc oppida *Galilææ* pro *Decopolitanis* numerent. *Tiberiada, Sephet, Kedesh-Nephtali, Hazor, Capernaum, Cæsareã Philippi, Jetopatam, Beth saidã, Chorazin, Schythopolin.* Quorum fide Baronius: *Erat*, inquit, *in eadem Galilæa, posita provincia Decapolios, dicta quòd in ea decem essent civitates, inter quas una annumerabatur Capharnaum.*

*Salignac. tom. 9. cap. 1. Ad annum Christi. 31.*

*Nat. Hist. lib. 5. c. 18.* Fidenter quidem satis, at sine fundamento. Longè aliter *Plinius. Jungitur*, inquit, *ei latere Syriæ Decapolitana regio, à numero oppidorum in quâ non omnes eadem observant. Plurimi tamen Damascum & Opeton riguas amne, Chry-*

*Chryſorrhoa, Fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia. Scythopolin, antea Nyſam, à Libero patre, ſepulta ibi nutrice, Scythis deductis. Gaddaram Hieromiace præfluente, & jam dictum Hippon Dion, Pellam aquis divitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant cinguntque has urbes Tetrarchia, regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur, Trachonitis, Panias, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte, Abila, Arca, Ampeloeſſa.*

Quibúsnam credendum? *Borchardus* & ſui, totam *Decapolin* intra *Galilæam* ſtatuunt, totâ longitudine *Galilææ* extenſam atque *Jordani* adjacentem & littori maris *Geneſaritici*. *Plinius* & ſui, totam in *Trans-Jordanica*; excepta ſolum *Scythopoli*.

In *Scythopoli* utræque partes conveniunt, & ego in hac cum utriſque: Aſt in aliis vix ego in ullis cum *Borchardo*, nec in omnibus cum *Plinio*. Apud illos, incongruum eſt, nobiliſſimas urbes *Galilææ* numerare pro *Decapolitanis*, cùm & apud ſacros & profanos authores, planè diſtinguatur *Galilæa* à *Decapoli*. Apud hunc, impar congreſſus videtur *Damaſco* & *Philadelphiæ*, Μητροπόλεσιν olim Syriæ & *Ammonitidis*, cum urbeculis *Gadara* & *Hippo*.

Cum *Plinio* & ſuis, in quibusdam urbibus *Decapolios* enumerandis conſentit etiam *Joſephus*. Nam ille *Juſtum Tiberienſem* truci proſequens oratione, hæc ait.

Σὺ δὲ καὶ πάντες Τιβεριεῖς ὑμῶν ἀνειλήφατε τὰ ὅπλα, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐν τῇ Συρίᾳ Δεκαπόλεις ἐπολεμεῖτε. *Joſeph. in vita ſua pag. mihi 650.*

*Tu quoque, atque omnes Tiberienſes, non ſolùm arma ſuſcepiſtis, ſed & urbes Decapolitanas in Syria oppugnâſtis.* Nota illud, urbes Decapolitanas ἐν Συρίᾳ, nequaquam in *Galilæa*.

Σὺ γοῦν τὰς κώμας αὐτῶν ἐνέπρησας. *Tu urbes earum in flammas immiſiſti.*

Et non multò póſt. *Poſtquam Veſpaſianus Ptolemaida* *Ibid. p. 654.*

per-

*pervenisset* οἱ πρῶτοι τῆς Συρίας δέκα πόλεων. *Viri primarii Decapoleos Syriæ Fustum Tiberiensem acriter incusârunt* ὅτι τὰς κώμας αὐτῶν ἐνεπρήσειν· *quòd oppida eorum incenderat.*

Quænam autem oppida ista *Decapolitana* fuerint, innuit ille alibi his verbis. *Tunc suadens Fustus concivibus suis ut arma caperent, & nolentes cogens, cúmque omnibus his egressus,* Ἐμπίμπρησι τὰς τε Γαδαρηνῶν καὶ Ἱππηνῶν κώμας, *in ignem mittit villas Gadarenorum atque Hippenorum.*

*Ibid. pag. 6. 8.*

Vides ut cum *Plinio*, Josephus *Decapolitanam* régionem lateri *Syriæ* adjungat, atque ut cum eo *Gadaram* & *Hippon* numeret pro *Decapolitanis*: Et tamen in omnibus ut diximus non placet *Plinius*: Illud verò quod apud eum ridiculum maximè & absurdum videri posset, nempe quòd *Scythopolin* quæ cis Jordanem, cum reliquis urbibus numeret, quæ omnes trans, hoc placet maximè. Nam ab isthac ipsa urbe, innotescit nobis qualésnam fuerint reliquæ urbes, & quare tam singulari nomine & notâ clarescerent. Conditione *Scythopolios* primùm obsérvatâ, facilius erit judicare de reliquis.

## §. II. *Scythopolis, olim* בֵּית שְׁאָן *Bethshan, una ex urbibus Decapolitanis.*

TAlmudici frequentissimè exemplum singulare proponunt urbis *Bethsheanis*, quæ & dicta *Scythopolis*: [vid. LXX in *Judic.* i. 27.] eámque semper statuunt diversa conditione à cæteris urbibus terræ Israeliticæ.

*Rabbi*, inquiunt *solvit Bethsheanem, Rabbi solvit Cæsaream, Rabbi solvit Beth Gubrin, Rabbi solvit Caphar Tsemach à Demai*, id est, à decimatione rerum dubiarum. *Jarchius* hæc citans, ista insuper addit. *Nam omnia ista loca erant paria Bethsheani, quam subjugârunt Israelitæ ascendentes ex Ægypto, at non subjugârunt ascendentes è Babylone.*

*Hieros. Demai. fol. 22. 3. R. Sol. in Demai. cap. 1. hal. 3. Chelin. fol. 6. 2.*

*R. Meir*, inquiunt, *comedit folia olerum* [non decimatorum]

torum ] *in Bethſhane & exinde Rabbi ſolvit totam Bethſheanem à decimatione:* In quam hiſtoriam, ſic *Jarchius* iterum. *R. Meir comedit folia in Bethſhane non decimata, quia decimatio non adhibetur extra terram Iſraeliticam.* Nota quæſo hoc bene, *Bethſheanem* quæ planè fuit intra terram Iſraeliticam, haberi tamen pro urbe quæ extra terram Iſraeliticam, vel pro urbe Ethnica: ratióque redditur, quia quamvis fuerit intra terram, ceſſerítque Iſraelitis in ſubjugatione ejus prima, non ceſſit tamen iis in ſubjugatione ſecunda, ſed ſemper habitabatur ab Ethnicis. Ipſiſsimum idem judicamus meritò de reliquis urbibus *Decapoleos*, quòd quidem forent intra limites terræ Iſraeliticæ, at quas uſurpârant, & jam tum poſſederunt Syri vel Ethnici. Enumeratis quibuſdam earum, res patebit clariùs.

At ſi quæras obiter, quinam incolæ *Bethſheanis* fuerint, cùm aſcenderent Judæi è *Babylone*, quíque à Judæis noluerunt, nequiverunt ſubjugari, obſcurioris eſt inveſtigationis; *Scythas* autumares è vocis Etymo, & verbis *Plinii, Scythopolin, antea Nyſam, deductis Scythis*; at ſi *Herodotum* adeas, de imperio *Scytharum* in *Aſia*, & ſpeciatim in *Paleſtina*, diſſerentem, comperies extinctum fuiſſe imperium iſtud, cùm vix natus foret *Cyri* avus: ut magis mirum videatur adeò viguiſſe nomen *Scythopoleos*, cùm Judæi ſub *Cyro* ad propriam terram remearent. Sed de hac re plus moleſtiæ vel lectori, vel nobis ipſis non ciebimus.

*Herodot. in Clio. cap. 105, 106.*

## §. III. *Gadara & Hippo urbes Decapolitanæ.*

SIc *Plinius* & *Joſephus* verbis ex iis modò allegatis: Sic & non obſcuri Evangeliſtæ de *Gadara*. Nam Marcus, *Cœpit prædicare in Decapoli*; Lucas, *Abiit prædicans per totam urbem Gadaram.*

Et *Gadaram* fuiſſe Ethnici juris, præter quod colligi poteſt

teſt ex verbis iſtis *Joſephi*, aſtruere licet etiam ex eo quod porci illic tanto numero alerentur [*Mat.* viii.] quorum nutritio *Judæis* prohibita per canones Talmudicos, æquè ac comeſtio per legem *Moſaicam*. Hinc in adverſionibus in *Marc.* 5. non veremur Dæmoniacum iſtum *Gadarenum*, Ethnicum pronuntiare, idque, ſi non fallat conjectura, bono nixi fundamento.

*Hippon* pariter fuiſſe Ethnici juris, arguere ſatis poſſunt teſtimonia *Judæorum* de urbe *Suſitha*: quæ ut ejuſdem eſt ſignificationis cum voce *Hippo*, ſic omni abſque dubio eſt idem locus: Sic illi de ejus Ethniciſmo.

*Hieroſ. Shevuith. fol.* 36. 1. *Terra Tobh. ad quam fugit Jephta, eſt Suſitha. Et quare vocatur nomen ejus Tobh?* [bona] *Quia immunis eſt à decimis.* Atque unde immunis à decimis? Quia Ethnicæ poſſeſſionis. Nam non erat decimatio extra terram, id eſt è loco aliquo qui erat Ethnicorum.

*Id. Roſhhaſhanah. fol.* 54. 4. Atque iterum. *Si prodeant ambo teſtes è civitate cujus major pars conſtat è Gentilibus, ut Suſitha.*

## §. IV. *Pella urbs Decapolitana.*

*Epiphan. de menſur. & ponder. c.* 15 *Pellam* etiam inter urbes *Decapolitanas* numerat *Plinius*: Sic & *Epiphanius*: eamque ejusdem fuiſſe conditionis, ſub qua poſitas arbitramur reliquas urbes Decapolitanas, habitatam nempe ab Ethnicis, planum faciunt verba

*Antiq. lib.* 13. *cap.* 23. *Joſephi. Moabiticas has urbes recuperârunt Judæi ab hoſtibus, Heſhbonem, Medebam, Lembam, Oronas, Telithona, Zara, Cilicium, Aulona, Pellam.* Ταύτην δὲ κατέσκαψαν, &c. *Pellam autem exciderunt, ideo quòd non tolerarent incolæ ejus in patrios mores transformari.* Ecce tibi cives *Pellæ* ſtrenuè Ethnicos, adeo ut martyrium quoddam, ſi ita dicere liceat, paſſa ſit urbs eorum ob retentum Ethniciſmum. Cúmque reſtauraretur ſub *Pompeio*, reddita eſt iiſdem civibus, teſtante

*Ibid. lib.* 14. *cap.* 8. eodem *Joſepho*.

At

At cave lector ne verba ejus tibi imponant de ejus ſitu, qui ſic de *Perea*, Μῆκος μὲν αὐτῆς ἀπὸ Μαχαιροῦντος εἰς Πέλλαν---- ----Καὶ Πέλλης μὲν τὰ πρὸς ἄρκτον ὁρίζεται. *Longitudo Peræa eſt à Macharunte ad Pellam, & fines ſeptentrionales terminantur ad Pellam.* Id eſt *Peræa* ut diſtinctæ à *Trachonitide* & *Batanea*. Nam erat *Pella* ultima ora Aquilonaris *Peræa*, & erat ora Meridionalis *Trachonitidis*. Hinc *Joſephus* eam connumerat & coordinat cum *Hippo*, *Dio*, *Scythopoli*. Loco antè citato. *Antiq. lib.* 14. *Id. de bel. lib. 3. cap. 4.*

Urbes plures *Decapoleos* trans *Jordanem* numerare non eſt opus, hæc quæ dicta ſunt ſatis faciunt in ſententiam noſtram, & de ſitu locorum, & de natura. Hæc tantũ addamus, dum jam verſamur trans *Jordanem*, & circa *Pellam*

*Ammon & Moab* inquiunt Gemariſtæ *decimant decimam pauperum anno ſeptimo*, &c. Ubi Gloſs. *Ammon & Moab ſunt Iſraelitæ, qui habitârunt in terrâ Ammon & Moab quam cepit Moſes à Sichone: Et ſancta erat terra iſta ſecundùm ſanctitatem terræ Iſraeliticæ: At verò ſub templo ſecundo, ſanctitas ejus ceſſavit. Serunt ergo eam anno ſeptimo, & ſtatuunt inde decimam primam & decimam pauperum anno ſeptimo, ob ſuſtentationem pauperum: quibus non eſt angulus agri relictus, nec ſpicilegium iſto anno. Illuc ergo ſe recipiunt pauperes atque illic habent angulum relictum & ſpicilegium & decimam pauperum.* *Jevamoth. fol. 16. 1.*

Hæc adducimus, hiſtoriæ iſtius ergô, quæ refert Chriſtianos ab obſidione & clade *Hieroſolymæ* fugiſſe *Pellam*. Et eccur ad *Pellam?* Certè ſi verum illud ſit quod obtinet apud *Judæos*, excidium Hieroſolymitanum fuiſſe בשביעית *Anno ſeptimo* [qui erat annus relaxationis] cùm citra *Jordanem* nec aratrũ foret nec ſatum, trans *Jordanem* verò foret meſſis & Decimatio pro pauperibus, &c. probabiliorem hinc petas rationem iſtius hiſtoriæ quam reddunt ipſi hiſtorici. Pauperes ſcilicet iſtos Chriſtianos illuc

ſe recepiſſe victûs & alimoniæ ergò, cum iſto anno ceſsâſſet agricultura in *Judæa* & *Galilæa*: Sed hiſtoriam miramur potius quam in hâc ratione acquieſcimus.

§. V. *Caphar Tſemach. Beth Gubrin. Caphar Carnaim.*

OMnes *Decapoleos* urbes, ejuſdem conditionis cum *Bethſheane*, recenſere nec audemus, nec quidem poſſumus: Has tres tamen ſub eadem claſſe cum ea, ſtatuunt ordinantque *Hieroſolymitani* verbis iſtis quæ allegata antea, exceptâ *Caphar Carnaim*, de qua poſtea.

I. כפר צמח *Caphar Tſemach.* Aliquid obſervetur de ejus nomine ex R. *Solomone*

1. *Hieroſolymitanis* eſt כפר צמח: At R. *Solomon* eos citans legit כפר עמס *Caphar Amas*: quod mireris. At hoc non adeo alienum ab idiomate *Chaldaico* & *Syro*, cui uſitatiſſimum eſt צ in ע immutare, Ita ut *Rabbinus* in prolatione hujus vocis עמס in prima litera Syriſſet, & Græciſſet in ultima, vocabulum terminans in ם pro ח.

2. De ſitu loci nihil audemus fidenter pronuntiare, hoc tantum de eo diximus antea quod ab *Hieroſolymitanis* numeratur inter עירות אסורות בתחום *Urbes Prohibitas in Limite*: Forſan Ἐν ὁρίῳ de quo antea, ſed nihil ſtatuimus.

II בית גוברין *Beth Gubrin.* Latet etiam ſitus hujus loci. Erat *Gabara* quædam ſupra *Cæſaream Philippi*, Rabbinis תרנגולא ע'לאה: Sed non audemus Voces & loca confundere. Celebratur ob *R. Jochananem de Beth Gubrin qui dixit, ſunt quatuor linguæ nobiles, &c.*

*Hieroſ. Magil fol. 71. 2*

III. כפר קרנים כבית שאן *Caphar Carnaim, inquiunt Hieroſolymitani, eſt ejuſdem conditionis cum Bethſheane,* id eſt, juris Ethnici.

*Id. Demai. fol. 22. 3.*

An hæ fuerint urbes ex Decapolitanis, jam judicet lector. Fuerint nec ne, quòd non decernimus, nec ſolliciti quidem de iſta re ſumus: hoc quod maximè urgemus, per loca quæ antea nominantur, ut puto patet, urbes *Decapolitanas,*

*litanas*, fuiſſe quidem intra limites terræ Iſraeliticæ, at habitatas à Gentilibus. Habitabant quidem cum iis Iudæi, at numero pauciores, dominio inferiores, & poſſeſſione & privilegiis non adeò immunes. Rationémque ſi quæris quare in tali inferioritate vellent cohabitare cum Ethnicis, hanc accipe.

*Tradunt Rabbini. Semper habitet quis in terra Iſraelitica, ſit licèt in civitate, cujus pars maxima ſunt Ethnici. Et ne habitet extra terram, imò non in urbe, cujus pars maxima ſunt Iſraelitæ; Nam qui habitat in terra Iſraelitica Deum habet. At qui extra terram, eſt ac ſi Deum non haberet: Sicut dicitur, ad dandum vobis terram Canaanis, ut ſit vobis Deus*, &c. Bab. Cketub. fol. 110. 2.

Vis plures?

*Quicunque habitat intra terram Iſraeliticam, abſolvitur ab iniquitate. Et quicunque ſepelitur intra terram Iſraeliticam, eſt ac ſepeliretur ſub altari.* Ibid. fol. 111. 1.

Unam habe pro omnibus. *Viri Iſraelitici ſunt admodum ſapientes, Nam ipſum clima ſapientificat.* O ſapientiſſimos Rabbinos! Gloſſ. in Bab. Sanhe. fol. 5. 1.

## §. VI. *Cæſarea Philippi.*

EST & urbs iſta apud Talmudicos ejuſdem claſſis cum *Betſheane*: atque ut eam inter *Decapolitanas* numeremus, animat præterea *Ptolemæus*, qui eam numerat inter urbes *Phœniciæ Mediterraneæ*; & *Joſephus*, qui Syros ejus incolas fuiſſe innuit in vita ſua. Corrigimus hìc, quod alibi excidit, Interpretem ſcilicet Arabem dum *Cæſaream* reddit pro *Hazor* Joſu. xi. 1. poſſe de *Cæſarea Stratonis* intelligi, cùm potiùs videatur hanc *Cæſaream* reſpicere.

Et jam ex omnibus quæ dicta ſunt, cogita tecum lector, quid ſtatuendum ſit de verbis iſtis S. *Marci*: *Ieſus pervenit à finibus Tyro-Sidoniis ad mare Galilææ, per medios fi-*

*nes*

*nes Decapoleos.* Cogita inquam & judica, an per *fines Tyro-Sidonios* intelligi possit locus aliquis ad ipsas portas *Sidonis*: annon potiùs locus aliquis non remotus admodum à *Cæsarea Philippi.* Et judica iterum, an *Decapolis* statuenda sit intra *Galilæam*, an non potiùs [cum *Plinio* & *Josepho*] magna pars ejus saltem, in *Trans-Jordanica*, & si qua in *Galilæa*, in extrema ejus ora Aquilonari, exceptâ solùm *Scythopoli*, vel *Bethshane.*

## §. VII. Urbs ערבו.

EX mentione *Bethsheanis* non possumus non subjungere mentionem urbis ערבו, ex verbis *R. Judæ*, loco ad marginem.

*Beriſh. rab. ſect. 33.* R. Judah dicit עורבים *attulerunt panem & carnem manè & vespere ad Eliam*, עיר היא בתחום בית שאן *Urbs ista erat in limitibus Bethsheanis*, & ושמה ערבו *vocabatur Orbo.*

Scrupulum cient Judæi quidam, an Corvi panem & carnem contulerint *Eliæ*, an homines qui vocantur עורבים: Sic *Kimchius* in locum; *Sunt qui per* עורבים *intelligunt mercatores, secundùm illud quod dictum est* עורבי מערבך Ezek. xxvii. 27. Hinc rationem odorari potes cur Arabs reddiderit *Orabimos.* In quem sensum & *Rabbinus* noster *Judah*, qui non corvos, sed Incolas urbis *Orbo* Eliæ ministrâsse arbitratur. At valet hìc objectio Kimchii. *Fuisset Eliam Deus*, inquit ille, *ut seipsum absconderet, neu quis eum cognosceret illic existere. Et videmus etiam quod Achabus eum perquisivit undique*, &c.

At omissâ nugacitate somnii, rem chorographicam nos indagamus: & si quid veri sit in verbis *R. Judah*, quod fuerit urbs quædam nomine ערבו *Orbo* propè *Bethshanem*, vel situm torrentis *Cherith* invenimus, vel saltem ubi ille eum fluxisse est opinatus.

Latu-

Latuisset æternùm in tenebris torrens iste, ni juxta eum latuisset *Elias*: at locus ejus & adhuc latet. Sunt tabulæ quæ eum ultra *Jordanem* statuunt, & sunt quæ cis, aliæ hîc, aliæ illic incertò & vagabundè. Præsertim vero *Josephum* miror qui dicit quòd Ἀνεχώρησεν εἰς τὰ πρὸς νότον μέρη ποιούμενος παρὰ χειμάῤῥῳ τινὶ τὴν διατριβήν. Cùm Deus planis verbis dicat ופנית לך קדמה, Et convertes te, vel *tendes versùs Orientem*: nam jam tum erat in *Samaria*. *Antiq. lib. 8. cap. 7.*

Addit Deus, *Absconde te ad torrentem Cherith* אשר על פני הירדן *qui est coram Jordane*. Sic, inquies, erat unusquisque torrens qui fluxit in *Jordanem*: At sensus verborum, *qui est coram Jordane*, hic est, qui ut pergis ad *Jordanem*, est citra *Jordanem* in eum fluens. Ita ut quamvis de creaturis *Eliam* pascentibus hallucinetur Rabbinus, de loco torrentis, forsan non hallucinetur adeò.

De Ὁρίοις Τύρου καὶ Σιδῶνος & de *Regione Decapolitana* disserendi occasionem præbuit, historia fœminæ *Syrophœnissæ* Christo supplicantis pro filia sua dæmoniaca, & recessionis Christi inde, per *Decapolin* ad *mare Galilææ*: Et jam expeditâ locorum perlustratione, de ipsa fœmina verbum unum. Dicitur à *Marco* Ἕλληνις Συροφοίνισσα, quod absque omni scrupulo, est: at cùm dicitur à *Matthæo* χαναναῖα, est obscuriús. Si ea, quæ ad locum istum diximus in animadversionibus nostris in *Matthæum*, cuiquam non placent, hæc addantur, 1. Quod *Canaan* & *Phœnicia* τοῖς LXX aliquando convertuntur. *Josu.* iv. 1, 12. *&c.* 2. Si dixerim quod Ἕλληνις & χαναναῖα etiam convertuntur, risum forsan crearet: at non apud Judæos qui omnes servos & famulas qui non sunt Hebræi sanguinis, vocant *Canaanæos*. Trita est distinctio inter עבד עברי *servum Hebræum*, & עבד כנעני *Servum Canaanæum*; atque ita in sexu fœmineo; Jam verò *servus Canaanæus*, inquiunt, est servus ex quâvis gente præter Hebræam: Conjice hanc fœminam fuisse talem

talem, & nihil obſcuri eſt in ejus agnominatione: quòd nempe fuerit fœmina ſervilis, origine Ethnica, atque inde, vulgò apud Iudæos nota titulo שפחה כנענית *Ancillæ Cananææ.*

## CAP. VIII.

*Emenſurationes quædam.*

I. *Menſuræ Iudæorum.* II. *Eorum emenſuratio terræ per dietas.* III. *Et emenſuratio latitudinis terræ intra Iordanem.* IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.* V. *Plinius corrigendus.* VI. *Longitudo terræ ex Antonino.* VII. *Latitudo viarum.* VIII. *Diſtantia ſepulchrorum ab urbibus.*

### §. I. *Menſuræ Iudæorum.*

Gloſs. in Bava Metzia. fol. 28. 1.

OBtinuit apud Iudæos, *Terram Iſraeliticam fuiſſe quadraturæ quadringentarum Parſarum*; Et delectantur neſcio quî & quare, hoc numero & menſurâ.

Megill. fol. 3. 1.

*Ionathan ben Uzziel interpretatus eſt ab ore Haggæi, Zachariæ & Malachiæ* ונזרעוה אי ר מאות פרסה עלת ר מאית פרסה *Et commota eſt terra Iſraelitica quadringentis Parſis undiquaque.*

Bava Kama fol. 82. 2.

*Cùm porcus ſurſum traheretur ſuper muros Hieroſolymæ, atque ungues infigeret, quaſſata eſt terra Iſraelitica per quadringintas Parſas undiquaque.*

*Parſa* פרסה continuit intra ſe quatuor milliaria.

Gloſſ. in Peſachin. fol. 93. 2.

*Decem Parſæ*, inquit gloſſ. ad locum in margine, *ſunt quadraginta milliaria*: quod & fusè probari poſſet aliunde ſi foret opus. Ita ut *Quadringentæ Parſæ* [vel Paraſangæ] fuerint Mille, & ſexcenta milliaria. Quam menſuram cur terræ *Iſraelitiæ* aſcripſerint ab unoquoque latere quadraturæ ſuæ, an ab emenſurationibus *Ezechielis*, an aliunde, hìc non quærimus. At hoc non obſervare non poſſu-

possumus, eundem numerum memorari, & forsan eandem mensuram intelligi *Apoc.*xiv.20. *Exivit sanguis è lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Ubi Arabs. אמיאל אלף וסתמאית *Per spacium milliariorum mille sexcentorum.*

Mensurant Talmudici, aliquando per *milliaria*, aliquando per *Parsas*, aliquando per *dietas*. Unamquamque harum comperies apud eos frequentissimè.

De milliari Talmudico, hanc accipe ipsorum commonefactionem.

אחד משבע ומחצב במיל זה הוא ריס: *Constitisse* nempe *illud* [ non octo, ut Græcum & Romanum, sed ] *septem stadiis & dimidio.* Nam qua alia voce vertenda sit ריס nec quidem novi, nec aliâ arbitror esse vertendam. *Bava Mezia. fol. 33.1.*

Et hanc etiam de *dieta.*

*Dicit R. Jochanan.* כמה מהלך אדם ביום. *Quantum est iter hominis die uno?* י פרסאות *Decem Parsarum. A prodeunte primùm aurora, ad ortum solis, quinque milliaria; Ab occasu Solis, donec appareant stellæ, quinque milliaria.* פשו ל חמיסר מצפרא לפלגא יומא *Restant triginta. Quindecim à mane ad meridiem.* חמיסר מפלגא דיומא לאורתא *Quindecim à meridie ad vesperam.* *Pesachin. fol.93.2.*

En tibi iter diarium, uno sensu quadraginta milliarium, id est, quantum uno die confici potest; & alio sensu triginta, id est, quantum usitatissimè confici solet: ubi & ab iis etiam es monendus computari hæc כיום בינוני *secundùm diem æquinoctialem.*

Comminiscuntur *Saulum* uno die sexaginta milliaria peragrâsse, ut & *Israelitas* à *Jordane* ad montem *Gerizim*, at vulgatissimè de dieta dijudicant, secundùm quod est dictum, nempe sub eæ comprehendi triginta milliaria. *Midr. Till. fol.7.4. Glos. in Sanhed. fol. 44.1.*

Et huc adducantur ista: אי זו היא דרך רחוקה *Quænam est via longinqua?* מן המזריעים ולחוץ כמרתה לכל רוח *A Modim* [sepulchris *Maccabæorum*] *& porro, & secundùm hanc mensuram ab unoquoque latere. Dicit ultrà. A Modim ad Hierosolymam erant quindecim milliaria.*

*Pesachin ubi supra.*

Disputatur super illud, *Num.* ix. 10. ubi præcipitur ut unusquisque celebret Pascha mense primo, nisi sit immundus או בדרך רחוקה *Aut in via longinqua,* & concluditur, Per *viam longinquam* intelligendam esse distantiam quindecim milliarium ad minimum, quæ erat dimidium dictæ vulgaris.

## §. II. *Judæorum emensuratio terræ per dietas.*

*Bava Metzia. fol. 28. 1.*

Loco ad marginem adscripto quærunt Magistri. *Quamdiu tenetur quisquam ad manifestandum publico præconio, de aliqua re reperta? R. Judah dicit, Tribus festis & septem diebus post festum ultimum. Nempe ut triduo quis domum redeat quæsitum an aliquid perdiderit, triduo redeat* [Hierosolymam] *& supersit adhuc dies unus publico præconio.* [Glos. Ut ipse præconium edat, Ego tale quid perdidi, & hæ sunt ejus notæ.] *At objiciunt, Tertio die mensis Marheshvan orant pro pluviis. Rabban Gamaliel dicit, septimo istius mensis, qui est dies decimus quintus à festo Scenopegiæ: nempe ut postremus inter Israelitas* [qui ascenderant ad Festum] *accedat ad Euphratem, et non prehendant eum pluviæ.*

Præsumitur ex hac traditione, ultimum limitem terræ *Israeliticæ* fuisse intra iter triduanum ab *Hierosolyma*, nec pravé: atque sub eadem conditione reputantur ultimi termini *trans Jordanicæ*, nempe quòd distantiam istam non excesserint, at quantum ad eam non accesserint in dubio relinquitur. Rem istam hìc loci decernere non est instituti nostri, illud quod prosequimur est ut latitudinem terræ intra *Jordanem* emetiamur.

§. III.

## §. III. *Talmudicorum emensuratio latitudinis terræ intra Jordanem.*

CElebris apud eos erat traditio, & gentis consuetudo, de qua mentionem aliquam habuimus alibi כרם רבעי היה עולה לירש מהלך יום אחד לכל צד *Ut Vinea quadrienni ascenderet Hierosolymam itinere diario ab unoquoque latere.* *Maasar Sheni. cap. 5. hal. 2.*

Sensus traditionis hic est. Decimæ secundæ aut ipsæ comedendæ erant *Hierosolymis*, aut venundatis iis domi, afferebatur nummus *Hierosolymas*, unde coempta sunt quædam, quæ ibi comedebantur. Jam verò cautum est hoc canone, ut decimæ vinearum quæ erant intra dietam ab urbe, non venundarentur, sed ipsæ apportarentur *Hierosolymas*, atque ibi comederentur.

At אי זו היא תחומה *Quinam sunt limites, inquiunt, itineris istius diarii?*

אילת מן דרום : *Elath ab Austro.*

עקרבת מן הצפון : *Acrabatti ab Aquilone.*

לוד מן המערב : *Lydda ab Occidente.*

ירדן מן המזרח : *Jordanes ab oriente.*

Sic *Mishnah* utraque: At *Gemara Babylonica* locis ad marginem legit אילת מן הצפון ועקרבת מן הדרום *Elath ab Aquilone, Acrabatti ab Austro.* Qua ratione & quo sensu hæc conveniunt enodare nituntur commentatores obscurè satis: sed non tanti est ut immoremur. *Bezah. fol. 5. 1. Rosh Shanah. fol. 31. 2.*

*Elath* in mentem revocat quædam quæ dicuntur à *Notitiæ Imperii* orientalis. Ubi, *sub dispositione viri spectabilis Ducis Palæstinæ* substituitur inter alios, *Præfectus Legionis Decimæ Fretensis Ailæ.* Ubi Pancirolus. *Ailam in littore maris rubri positam fuisse* D. *Hieron. in* 47. Ezek. *ita scribit. Lingua maris rubri in cujus littore Aila posita est ubi*

*nunc moratur Legio & præsidium Romanum. Idem de loc. Hebr. Aila, inquit, in extremis finibus Palæstinæ, juncta Meridianæ Solitudini, & mari rubro, unde ex Ægypto in Indiam, atque inde in Ægyptum navigatur. Sed & ibi legio Romana cognomento Decima.*

Non audemus tanto oraculo contrariari, aliter ad *Elath* hanc noſtram recurrerent cogitationes meæ: idque hac præſertim ratione, quòd duriuſculum videatur, præſidium ad mare rubrum ſubſtituere. *Subduce Palæſtinæ*, cùm tantùm diſtaret illud a *Palæſtina*, foretque dux *Arabiæ* [in qua *Elath* ad mare rubrum] æquè ac *Palæſtinæ*.

Vides Patres traditionum emenſurantes à *Lydda* per *Hieroſolymam* ad *Jordanem* duplici diario: Sed & hìc iterum in incerto nos relinquunt de latitudine terræ; quippe quòd *Lydda* non foret ad extremam terræ oram ab iſto latere. Ni forte dixeris, quòd quodcunque ſpatii interceſſit inter *Lyddam* & mare erat מרינת הים æſtimatum ut terra Ethnica, cùm *Caphar Lodim* quæ in interſtitio iſto erat ſita, nec longè à *Lydda* meliorem notam non ſubierit. Certiores ergo calculos & radium fideliorem, ſi fieri poſſit, acquiramus.

*Gittin cap. 3. hal. 1.*

## §. IV. *Ptolemæus conſultus & emendatus.*

LAtitudinem hujus terræ, ubique eandem eſſe, ridiculum foret vel ſomniare: cùm maria utrinque terminantia, hinc *Mediterraneum*, illinc *Sodomiticum*, *Geneſariticum*, *Samochoniticum*, atque inter iſta labens *Jordanes* non poſſint non flexuoſa ſinuoſitate ſua ſpatium reddere admodum inæquale.

ro-

Probatum hoc habe è *Ptolomæo* in littore Mediterranei. *Tabb. Aſiæ cap. 6.*

| Sic illæ. | | Sic Latina ejus verſio. | |
|---|---|---|---|
| Καισάρεια Στράτωνος. | ξς′ δ′ | *Caſarea Stratonis.* | 66. 15. |
| Ἰόππη | ξε γ′ | *Joppa* | 65. 40. |
| Ἰαμνειτῶν λιμὴν | ξε | *Jamnetorum portus* | 65. |
| Γαζαίων λιμὴν | ξε ς′ | *Gazæorum portus* | 64. 45. |
| Γάζα | ξε γ′ ιβ | *Gaza* | 65. 26. |

Et plura ejuſdem variationis.

De ultimis, *Gazæorum* Scilicet *portu*, & *Gaza* ipſa, eſt cur meritò hæſites. Ipſi *Ptolemæo*, ut vides, *Gazæorum portus* eſt in ξε ς 65. 45. Interpres autem latinus habet 64. 45. Nec quidem ſine ratione, cum ipſa *Gaza* ſit tantùm in 65. 26.

At quidem è converſo probabiliùs eſt *Gazæorum portum* ſtatuendum eſſe in 65. 26. & *Gazam* ipſam in 65. 45. ubi per *portum* minimè intelligendus eſt iſte locus quo applicantes naves ſeſe exonerârunt, ſed totus ſinus intra promontoria, in mare ſe protrudentia, comprehenſus. Cujus protruſionis ultimum apicem concipias in grad. 65. 26. Ab urbe 19. minutis.

Sic *Ptolemæum* ergo cum hac emendatione ſequi velis in emenſuratione latitudinis terræ inter *Gazam* & *Aſphaltiten* rem ſic accipe.

Eſto *Gaza* in grad. 65. 45. Et illi etiam Ἀσφαλτίτιδος τὸ μέσον ἐπέχει μοίρας ξς′ ς′ Latin. verſ. *Aſphaltitis medium continet gradus* 66. 50. A *Gaza* ergo ad medium *maris mortui*, erit totus gradus ε ς minuta, quibus reſpondent lxv. M. paſſ. unde ſi medietatem *Aſphaltitis* detraxeris, ſupererunt lv. M. paſſ. aut circiter, ab ejus littore ad *Gazam*.

§. V.

## §. V. *Plinius Corrigendus.*

HIc etiam non poſſum non vel emendare lectionem *Plinii*, vel ſaltem emendandam oſtendere, apud quem jam ſic legimus.

*Nat. hiſt. lib. 6. cap. 28.*

*Deinde Nabatæi oppidum incolunt Petram nomine, in convalle, paulo minus* II. M. *paſſ. amplitudinis, circundatum montibus inacceſsis, amne interfluente. Abeſt à Gaza oppido littoris noſtri* D. C. M. *A ſinu Perſico* Cxxii. M. *Huc convenit utrumque bivium, eorum qui Syriæ Palmyram petiêre, & eorum qui ab Gaza venerunt.* Verba iſta *Abeſt à Gaza*, &c. ea ſunt quibuſcum nobis res eſt.

*Vid. Heidman. Palaſt. cap 7. §. 6.*

Quid? D. C. M. Sexcenta milliaria à *Gaza* ad *Petram* Metropolin Moabitarum? Miror doctiſs. *Heidmannum* hæc tam molliter abſorpſiſſe, atque abſque ulla nauſeatione.

At liceat mihi conjectari *Plinium* in Autographo ſuo ſic ſcripſiſſe *Abeſt à Gaza oppido littoris noſtri* CX. M. Aſt incuriâ librariorum, literam numericam X diſſectam fuiſſe in dichotomiam hoc modo ↄC ſiniſtrámque ejus medietatem coaluiſſe tandem cum C præcedente in hunc modum Cↄ & ſic in D evaſiſſe. Dextrámque pro C vel numero centenario reputatam manſiſſe.

Utcunque in conjectura hac noſtra hallucinari poſſumus, at certè de ſpatio numeróque milliarium non hallucinamur adeò. Nam datis xxxviii aut circiter milliaribus inter *Petram* & *Aſphaltitin*, & conceſſis xx aut circiter milliaribus latitudini iſtius maris [ ut aliqualiter medium incedamus inter *Plinium* & *Joſephum* de ejus latitudine ] tum ſuperſunt è CX. M. quæ nos ſupponimus ſcripſiſſe *Plinium* lii aut circiter ab iſto mari ad *Gazam*. Quod non longè quidem à ſcopo aberrat. At toto quidem cœlo aberratur dum aſſignantur DCM. paſſ. à *Gaza* ad *Petram*: Supputationi certè noſtræ favebis, & conjecturæ de injuria

ria *Plinio* à librariis illata, cùm obſervaveris primum littus *Gazæ*, *Ptolemæo* eſſe, ut diximus, in grad. 65. 26. & *Petram* eſſe tantùm in grad 66. 45.

Demus igitur lii aut liii aut circiter milliaria latitudini terræ à littore *Mediterranei maris* ad *Aſphaltiten*: plura neceſſe eſt ut tribuas, inter littus *Mediterranei*, & *Jordanem*: quippe quòd, quò latior *Aſphaltitis*, eò ipſa terra minus lata: & ſic etiam de mari *Geneſaritico* & *Samochonitico* eſt dicendum. Nec ab iis dilatatis ſolùm coarctata eſt *Galilæa*, ſed & ditionibus *Tyro-Sidoniis* intercurrentibus inter eum & mare.

Ità ut fruſtrà foret latitudinem terræ ubique exactam inveſtigare: et ridiculum foret unâ aliquâ menſurâ aut extenſione metiri.

Bene eſt ſi hìc illic commodâ aliquâ conjecturâ vel rem propè attingas vel non multùm aberres. Certior videtur determinatio de terræ longitudine, dum per oppida emenſuratur et urbes, à *Sidone* ad fluvium *Ægypti*, at hìc nec omnibus idem ſpatium, et alibi etiã emenſuratio longè incertior.

## §. VI. *Longitudo terræ ex Antonino.*

Sic *Itinerarium Antonini*.

| | | |
|---|---|---|
| A Sidone Tyrum | M. P. xxiiii. | Phænicia. |
| Ptolemaidam | M. P. xxxii. | |
| Sicamina | M. P. xxiiii. | |
| Cæſarea | M. P. xx. | |
| Betaro [a] | M. P. xviii. | [a] Palæſtina. |
| Dieſpoli | M. P. xxii. | |
| Liamnia | M. P. xii. | |
| Aſcalona | M. P. xx. | |
| Gaza | M. P. xvi. | |
| Rapa | M. P. xxii. | |
| Rhinocolura | M. P. xxii. | |

CCXXXII. E-

Emensuravimus alibi hoc spatium funiculis *Plinii* et *Strabonis* tredecim milliaribus hoc numero minus: ubi si quid erroris in computum irrepserit crimen ferat *Gul. Tyrius* qui limites *Phœniciæ* quatuor aut quinq; milliaribus tantùm protendit à *Tyro* versùs Austrum.

At quid dicendum de Itinerario alio, quod an *Antonini* sit, definire non audeo, ubi sic habetur

| | |
|---|---|
| A Cæsarea Betaron | M. P. xxxi. |
| Diespolin | M. P. xxxviii. |

Supputatione priorem excedente xxix milliaribus.

Est et ibidem quod quomodo cum *Josepho* reconciliemus non est in promptu: nam dicitur

| | |
|---|---|
| A Neapoli Æliam | M. P. xxx. |
| Eleutheropolim | M. P. xx. |
| Ascalonem | M. P. xxiv. |

*De bell. lib. 3. cap. 2.* Ubi ab *Ælia* vel *Hierosolyma* ad *Ascalonem* excurrunt tantùm XLIV M. P. Cùm de *Ascalone* dicat *Josephus* quòd erat Τῶν Ἱεροσολύμων εἴκοσι πρὸς τοῖς πεντακοσίοις ἀπέχουσα σταδίους· *distans Hierosolymis* DXX *stad.* vel LXV. M. P. Chasma quidem aliquantum ab hoc repletur, quòd *Ascalon nova* propior erat ab *Hierosolyma* quàm vetus; sedecim milliaribus, referente *Benjamino*.

An *Betaron* eadem fuerit cum ביתר ubi horrenda ista strages sub. Ben *Cozba* non hìc disputabitur, *Liamniam* pravè scriptam pro *Iamnia* minimè dubitandum. Et jam sequamur *Antoninum* ad *Pelusium*.

| | |
|---|---|
| Rhinoculura | |
| Ostracena | M. P. xxiiii. |
| Cassio | M. P. xxvi. |
| Pentascino | M. P. xx. |
| Pelusio | M. P. xx. |

Quæ quomodo conveniant cum *Plinio* qui LXV. M. P. tantùm numerat à *Pelusio* ad *finitam Arabiam*, viz. ad *Sirbonem*,

*nem*, cui confinis *Rhinocolura*, ego non dixerim. Hoc aliàs dixerim, quòd mirum eſt tabulas aliquas, *Sirbonem* ſtatuiſſe inter *Caſium* et *Peluſium*, cùm contrarium et hìc, et apud *Plinium* et *Strabonem* pateat apertiſſimé. Errorem hauſerunt forſan à *Ptol.* vel ſaltem ejus interprete, cui *Caſium* eſt in latitud. grad. 31. 15. Eruptio autem *Sirbonidis* in 31. 10.

## §. VII. *Latitudo viarum.*

TRadunt *Rabbini*. *Via privata* [ דרך היחיד ] *eſt quatuor cubitorum. Via ab urbe in urbem eſt octo cubitorum.* Bav. bathr. fol. 100. *Via publica* [ דרך הרבים ] *eſt ſedecim cubitorum. Via ad civitates refugii eſt triginta duorum cubitorum. Via regis non habet menſuram: nam rex poteſt ſepes perfringere ut ſternat ſibi viam. Et via ad ſepulchrum non habet menſuram* משום יקרא דשכבא *ob honorem mortui.* Confer *Matth.* vii. 13, 14.

Inter *viam ab urbe ad urbem*, & דרך הרבים *viam publicam*, hoc erat diſcriminis: quòd *via publica* ea erat, per quam omnes urbes tranſierunt; *via ab urbe ad urbem*, ea erat, per quam tranſiit hæc urbs ad iſtam, atque iſta ad hanc, ſed non urbs aliqua alia iſtâc tranſiit.

Via *iſta ab urbe in urbem*, *erat octo cubitorum*, inquit Gloſſ. *Ut ſi fortè duæ quadrigæ occurrerent*, *daretur ſpatium tranſeundi.*

Via ad ſepulchrum menſuram non habuit, nè comitantes feretrum, ob anguſtiam viæ ſegregarentur.

Addunt המעמד דיינ צפורי אמרו בית ד קבין *Statio, ut dicunt Judices Zipporienſes, eſt quantũ recipit quatuor cabos.*

*Per Stationem* intelligunt, locum ubi à ſepulchro redeuntes, circumſtant lugentem ut eum ſolentur.

עבדים ושפחות אין עומדין עליהם: *Pro ſervis & ancillis non ſtant, nec pro iis dicunt benedictionem lugentium.* Beracoth fol. 16. 2.

Gloss. *Cùm redirent à sepulchro* היו עושים שורות *steterunt seriatim circa lugentem, solantes eum. Et series ista constitit non è paucioribus quàm decem.*

Gloss. in Chetub. fol. 8. 2. *Sedere eum fecerunt, atque ipsi steterunt circùm.*

בית ר קבין *Fundus recipiens quatuor cados seminis,* inquit Gloss. *est triginta tres cubitos & duos palmos latus, & quinquaginta longus.*

## §. VIII. *Distantia sepulchrorum ab urbibus.*

Gloss. in Kiddushin. fol. 80. 2. SEpulchreta *non erant prope urbes.* לא היו בתי קברות סמוכין לעיר. verba sunt Glossatoris in *Kiddushin* loco citato, idque super hanc traditionem. *Per omnes triginta dies effertur in sinu matris, & sepelitur à fœmina una, & duobus maribus; at non à viro uno, & duabus fœminis:* sensus hic est. Infans moriens ante tricesimum ætatis diem, feretro opus non habet, sed in sinu matris effertur ad sepulturam, comitantibus duobus viris, at non effertur à duabus fœminis comitante uno tantùm viro. Ratióq; hæc redditur, Quia cùm longiùs ab urbe distarent cœmiteria, fieri poterat ut ab uno viro allicerentur duæ fœminæ ad scortationem, cùm jam distarent à conspectu hominum, at non tam promptè conspirarent duo viri ad constuprandam unam fœminam.

Proferunt exempla. *Fœmina quædam,* inquiunt, *infantem vivum extulit, ac si mortuum ut mœcharetur cum eo qui eam comitatus est ad sepulchretum.* Et *decem viri fœminam vivam extulerunt ac si mortuam, ut eam constuprarent.* Oblitus tui certè es O *Judæe,* dum modò dicis, Duos viros vix conspiraturos in stuprationem ejusdem fœminæ, modò, Decem conspirâsse.

Cœmiteria distabant à civitatibus Leviticis bis mille cubitis, ab omnibus aliis civitatibus multo spatio, si non eodē: Quantùm cum iis hac in re conveniret aut non conveniret *Hierosolyma,* aliàs observandum.

CAP.

## CAP. IX.

*Loca quadam ſparſim notata.*

I. *Præſidia Romana.* II. *Zin* צין *Cadeſh* קדש.
III. אונו *Ono.*

DE locis quibuſdam hinc indè ſparſim notatis dicturi, ordiamur à Præſidiis Romanis quæ erant ſparſa per totam terram: idque facimus eò lubentiùs, quòd *Notitia Imperii*, unde ea exſcribenda, non adeò vulgariter in manibus omnium teratur.

## NOTITIA.

*Sub Diſpoſitione viri ſpectabilis Ducis Paläſtinæ.*

Equites Dalmatæ Illyriciani Beroſabæ.
Equites Promoti Illyriciani Menoide.
Equites Scutarii Illyriciani Chermulæ.
Equites Mauri Illlyriciani Æliæ.
Equites Thamudeni Illyriciani Bitſanæ.
Equites Promoti Indigenæ Sabaiæ.
Equites Promoti Indigenæ Zodocathæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Havanæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Zoaræ.
Equites primi Fælices Sagittarii Indigenæ Palæſtinæ Saburæ, ſive Veterocariæ.
Equites Sagittarii Indigenæ Mohaile.
Præfectus Legionis Decimæ Fretenſis Ailæ.
Et quæ de minore laterculo emittuntur.
Ala prima miliaria Sebaſtena Aſuadæ
Ala Antana Dromedariorum Admathæ.
Ala Conſtantiniana Tolohæ.

Ala Secunda Fælix Valentiniana apud Præsidium.
Ala Prima miliaria hastæ.
Ala Idiota constitutæ.
Cohors Duodecima Valeria Afro.
Cohors Decima Carthaginensis Carthæ.
Cohors Prima Centenaria Tarbæ.
Cohors Quarta Phrygum Præsidio.
Cohors Secunda Gratiana Jehybo.
Cohors Prima equitata Calamonæ.
Cohors Secunda Galatarum Arieldelæ.
Cohors Prima Flaria Moleahæ.
Cohors Secunda Cretensis juxta Jordanem fluvium.
Cohors Prima Salutaria inter Æliam et Hierichunta.

Officium autem habet ita.

Principem de Schola Agentium in rebus.
Numerarios & Adjutores eorum.
Commentariensem.
Adjutorem.
A libellis sive subscribendarium.
Exceptores & cæteros Officiales.

*Hæc* NOTITIA.

## §. II. *Zin.* צין *Cadesh.* קדש

NOminantur hæc loca in linea terram à Meridie terminante. *Num. xxxiv. & Jos. xv.*

Docent nos *Judæi* nuncupatum fuisse *Desertum Zin* à monte istius nominis, montemque sic vocatum à *Palmetis*: nobilemque eum fuisse *ferrifodinis*. Nam verba ista *Num.* xxxiv. 4. ועבר צנה à *Targ. Hieros.* reddantur. ועבר טוור פרולא *Et transit limes per montem ferri. A Jonath.* ועבר לציני טוור פרצלא *Et transit ad palmas montis ferri.* ציני Talmudicis sunt *Palmæ minores*:

Rabb

*Rabh Judah dicit, Qui vendit vicino fundum, neceſſe habet ut ſcribat, Roſside tibi* דקלין תאלין הוצין וצינין. Interpres pro nobis eſto *Aruch*. Bav. bathr. fol. 69 2.

דקלין *Sunt palmæ celſiores.*

תאלין *Sunt reliquæ arbores majores.*

הוצין *Sunt reliquæ arbores minores.*

צינין *Sunt palmæ minores.*

Et Talmudici rurſus.

ציני הר ברזל כשרות *Palmæ montis ferri ſunt idoneæ,* ad conficiendum faſciculum manu geſtandum in feſto Scenopegiæ. Ubi Gloſs. צינין *Sunt palmæ minores.* Succah. 2. 3. hal. 1.

Videtur ergo montanum aliquod hoc fuiſſe, ipſis terræ Iſraeliticæ limitibus viciniſſimum, palmis humilioribus atque ferrifodinis celebre, à palmis dictum צין & à nomine iſto regionem adjacentem, quæ eremoſa, denominans.

*Cadeſh* Interpretibus orientalibus רקם erat terræ limes, ipſa tamen fere ac ſi extra terram. Hinc iſta, *Qui libellum reportat à loco Ethnico*, &c. *Imò qui à Rekam*, Et *omnes maculæ quæ veniunt à Rekam ſunt mundæ.* Gloſs: *Maculæ aliquæ in veſtibus* [ profluvioſæ ſcilicet ] *quæ venerunt à Rekam, mundæ erant, quia non determinârunt de maculis alienigenarum.* Gittin. cap. 1. hal. 1. Jevam fol. 16. 1.

Gloſs alia. *In Rekam fuerunt Iſraelitæ, & tamen maculæ venientes à Rekam ſunt mundæ, quia Iſraelitarum ſunt, atque Iſraelitæ abſcondunt maculas ſuas*, &c.

*Cades* referente *Breidenbachio*, Arabibus dicitur *Cawathæ* nam ſic ille, *Tandem in regionem quandam venimus, quæ linguâ Arabicâ Cawatha appellatur, ſed Latinâ Cades.* Quæ dum legimus, ſubeunt ea quæ diſſerit vir admirandæ eruditionis, Cl. *Edvardus Pocokius*, S. T. D. de voce *Kawa* in doctiſſ. ſuis *Notis Miſcellan. pag.* 48, 49, &c. quòd ſignificet *vociferationem, Clamorem*, &c. cui an vox נעה & נעיה quâ *Rekam* etiam denominatur, quæ *mugitum* denotat

tat, ullo modo reſpondere poſſit, magni iſtius linguarum oraculi eſt judicare potiùs, quàm tenuitatis noſtræ.

## §. III. אונו *Ono.*

*Fuchaſ. fol. 39. 2. Bab. Chezubb fol. 3. 2 Cholin. fol. 56. 2. Hieroſ. Megil f. l. 70 1*

DIſtabat *Ono tribus Milliaribus à Lydda.* *Dixit* R. Jacob ben. דוסתאי *Doſithei. A Lydda ad Ono ſunt tria milliaria, egoque tempore quodam, ante diluculum illuc profectus ſum, ad talos uſque in melle ficuum.* R. Simai & R. Zadok *profecti ſunt interea: latum annum in Lydda, & Sabbatizârunt in Ono.*

Muris cinctam hanc urbem opinantur Talmudici, jam inde à diebus *Joſuæ*, at flammis abſumptam in bello *Gibeitico*: quia dicitur, *Omnes etiam civitates ad quas pervenerunt, miſerunt in ignem, Judic.* xx. 48. Reædificatam verò ab *Elpaal Benjamita.* 1 *Paral.* viii. 12. Dicit *R. Lazar.* ben. *R. Joſah. Exciſa erat in diebus concubinæ in Gibeah*, at *proſtitit Elpaal, atque eam reſtauravit.*

Conjungitur cum *Lod* & *Ono*, etiam גיא החרשים, vel *vallis Fabrorum, Nehe.* xi. 35. quam quidam è *Judæis*, urbem ſingularem putant; eámque mœnibus cinctam à diebus *Joſuæ. At dicit* R. Chananiah *nomine* R. Phineas לוד ואונו הן גיא החרשים *Lod & Ono, ipſe ſunt vallis fabrorum.*

*Fuchaſ. ubi antè.*

Iſte *R. Chananiah erat* איש אונו *civis urbis Ono*, celebris inter Rabbinos, *unus è quinque doctis qui judicârunt coram ſapientibus. Hi fuerunt, Ben Azzai, Ben Zuma, Chanan, & Chananiah, & Ben Nanas.*

Cur tabulæ *Lod* & *Ono* diſpoſuerint prope *Jordanem*, non longè à *Jerichunte*, non alia occurrit mihi ratio, quàm quòd apud *Joſephum* reperiatur oppidum *Adida*, non longè inde diſſitum, connumeretúrque *Hadid* cum *Lod* & *Ono* in *Ezr.* ii. 33. compinguntúrque *Lod* & *Hadid* in vocem unam ΛοδαδΣ *Ezr.* ii. 33. & ΛοδαδΣ *Nehem.* vii. 37. à LXX interpre-

pretibus. Ac plura erant loca nomine *Adida* nuncupata, ita ut vacillet ratio ista, si ista fuerit ratio. Nam erat Ἀδιδὰ ἐν τῇ Σεφήλᾳ. *Adida in valle.* Et Ἀδιδὰ πόλις ἐν ὄρους κειμένη. *Urbs Adida in monte.* ὑφ' ἧς ὑπόκειται τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία. Et *Adida in Galilæa, coram planitie magna,* si ea non eadem fuerit cum Ἀδιδὰ ἐν τῇ Σεφήλᾳ.

1 Maccab. 12. 38. Jos. ante. lib. 13. cap. 13.

1 Macc. 13. 13.

De *Lydda*, quam prope jam sumus, cùm de *Ono* agimus, illud animadvertatur in gratiam tironum, quod monet Gloss: in *Taanith*, *Lyddam vocari etiam* לודקיא *Lodiceam:* & frequens quidem occurrit mentio de הרוגי בלוד *martyribus in Lydda*, quod & profertur aliquando הרוגי בלודקיא ut in ista histotia inter loca alia כשנקש טוריינוס להרגו את לולונוס ופפוס אחיו בלודקיא *Cùm conaretur Tyrannus* [ vel Trajanus ] *interficere Lolienum* [ forsan *Julianum* ] *& Papum fratrem ejus, in Lodicea,* &c. [ Gloss. לודקין היא לוד ] *Dixit iis, si vos de populo Ananiæ, Michaelis, & Azariæ estis, veniat Deus vester, & vos liberet è manu mea.*

Taanith. fol. 18. 2.

Celebratur admodum fratrum horum martyrium, quod subierunt propter filiam regis, quæ reperta est interfecta, & dixerunt hostes *Judæorum* quod *Judæi*, eam interfecerant, & hi fratres, ut *Israelem* liberarent, dixerunt, Nos eam interfecimus, eos ergo solos rex interfecit. Sic Gloss.

Mentio est de סנדל לדיקי in tractatu *Kelim*, quòd an eundem locum spectet, & reddendum sit *Sandalium Lyddense*, non patet. Cum eo memoratur etiam סנדל עמקי *Sandalium Emkæum*: à כפר עמקי *Caphar Imki* dictum, cujus loci memoria est in tractatu *Taanith*, ubi dicitur *Civitas è qua sunt quingenti pedites ut Caphar Imki, &c.* Sic locum citant & nomen urbis proferunt *Aruch* & *R. Solomon* כפר עמקי at in textu Talmudico est כפר עמיקו De qua re non litigabimus.

Kolim cap. 26 hal.

Taanith. fol 21. 1.

CAP.

## CAP. X.

*De variis terræ incolis.*

I. *Ea, terra Hebræorum, antequam Canaanæorum.* II. *Unde Canaan pars tantùm Canaanis. Judi.* iv. 1. III. *Perizzæi quinam.* IV. *Kenæi.* V. *Rephaim.*

### §. I. *Terra Hebræorum ea, antequam Canaanæorum.*

DIcitur *Abrahamus* עברי *Hebræus* tum solùm, cùm bello inter eum decernendum foret, & *Elamitas*: Ratióque cognominationis est ab ipsa re petenda quæ tum transigebatur.

I. Jus hæreditarium terræ sanctæ, quæ dispositione divina erat terra *Semi*, meritò vendicabat *Elam Semi* primogenitus, nec erat quisquam de *Semi* filiis, ad quem judicio humano, æquius justiúsque devolveretur: Ast aliò eam designaverat judicium consiliúmque divinum; cessuram scilicet, familiæ *Arphaxadicæ* atque *Hebericæ*, è qua familia *Abrahamus*. Illum ergò contra exercitum *Elamiticum* roborat Deus, & victoriâ stupendâ hæredem declarat: quod & facit pariter ipse *Semus*, illi benedicens, quamvis filios suos *Elamitas*, primogenito suo *Elamo* natos, prælio straviſſet. Agnovit scilicet vir sanctissimus, vates idem maximus, nobilissimúsque, consilium Dei, cui ob cædem suorum tam minimè adversatur, ut è contra victori benedicat, nobilissimósque terræ suæ fructus, panem & vinum, ei exhibeat, non solùm in sui militúmque suorum refectionem, sed & forsan, potiùs in signum resignationis, & collationis juris hæreditarii in eum, quem tam signali notâ hæredem demonstraverat Deus. Meritissimè ergò exinde

*Abra-*

*Abrahamus* vocatur, *Hebræus*, ut digito quaſi monſtraretur, devolvere velle Deum hæreditatem iſtius terræ, à familia *Elami*, ad familiam *Heberi*: A primogenito ad poſtmodùm genitum, quod etiam poſtea factum eſt cum *Reubeno*, & *Joſepho*.

II. Præteriri abſque obſervatione nec debet, nec quidem poteſt, regionem *Pentepolitanam*, adjacentéſque, ſubditas & tributarias fuiſſe *Chedorlaomero regi Elam*. Quid? Regi *Perſarum* ſubdi partem aliquam *Canaanitidis*, cùm inter eam & *Perſiam* tot interjacerent reges & regiones? Scrupulus quidem & nodus non inanis, nec, quantùm novi, aliter ſolvendus, quàm quod *Elamus* primogenitus *Semi*, ſive *Melchizedechi*, hæres jure primogenituræ ſuæ fuerit iſtius terræ, quam jure & diplomate divino poſſedit pater ejus *Semus*, filiíque *Elami* & nepotes uſque ad *Chedorlaomerum*. Nam cùm dicitur quòd urbes & regiones iſtæ *duodecim annis* inſervierant *Chedorlaomero*, tempora regni ei numerari videntur potiùs, quàm anni regiminis *Elamitici*. Non quòd iſtæ gentes duodecim tantum annis ſubditæ fuerant ſceptro *Elamitarum*, ſed quòd duodecimus tantum fuerit iſte annus *Chedorlaomeri*. At jam transfert Deus hæreditatem ad familiam *Heberi*, *Hebræam* antea dictam, at jam ſingulariùs, & honorificentiùs, cùm ex omnibus *Semi* familiis iſta modò emineret. עבר *Hebræos* denotat, prout אשור *Aſſyrios* in verbis iſtis *Bileami*, *Num.* xxiv. 24. ועו אשור ועו עבר

Somnium eſt non neminis inter *Rabbinos*. *Quòd cùm diſtribueretur univerſa terra inter Septuaginta nationes, à confuſione Linguarum, nulli ceſſit Canaanitis: ſeſe ergò illuc receperunt Cananæi, & non ſolùm vacuam repertam, ſed & nulli ſorte collatam, pro ſua uſurpârunt.* *Shem tobb. in Pſ. 48.*

At quid tum dicendum de *Melchizedecho*, quem omnes jam agnoſcunt pro *Semo*? Num probabiliùs, illum

intrusisse inter *Canaanæos* jam terram habitantes, an eos in illum intrusisse? Nonne ei & suis hæreditaria potiùs erat ista terra, quàm per injuriam & intrusionem usurpata? Et nonne ille, dirigente Spiritu Dei, eò se contulit potiùs, quàm aut vagans incertè, aut ambitionis agitatus œstro, aut usurpationis? vix credo ego, vel *Canaanæos* ante confusionem linguarum illuc concessisse, vel *Semum* ad id temporis illinc abfuisse. At diu illum multúmque *Canaanitida* [ ut postea vocabatur ] habitâsse, ante ingressum in eam *Canaanæorum*: idque privilegio divinæ concessionis, quæ huc eum posteroque suos destinaverat: *Canaanæósque* postea huc irrepsisse, & familiæ *Semi*, cujus primogenitus *Elam*, subditos primùm fuisse, at tandem excussisse jugum.

Cùm ergò omnes primævæ istæ nationes à confusione linguarum nomina sua illico sortitæ fuerint, à stirpis suæ patribus, ut *Assyrii* ab *Assur*, *Elamitæ* ab *Elam*, &c. idem etiam sentiendum est de gente *Hebræo*, eam scilicet ab isto tempore *Hebræam* etiam dictam ab *Hebero*. Eámque, *terram Hebræorum* dictam fuisse antequam diceretur *terra Canaanæorum*. Nam nec opinari possum Anonymum fuisse genus *Hebræorum* per trecentos fere annos post confusionem linguarum, usque dum transitus *Abrahami* è Chaldæa nomen ei inveniret, quod volunt nonnulli: Nec consonum mihi videtur, *Abrahamum* ideò *Hebræum* dictum, quòd è *Chaldæa* pergens in *Canaanitida* transierit *Euphratem*, cùm & eâdem ratione & *Canaan* ipse, atque omnium ferè gentium patres occidentalium, *Hebræi* etiam dicerentur, nam & ipsi transiêrunt *Euphratem* emigrantes è *Chaldæa*. Cúmque *Josephus Patriarcha*, ipse vocetur à Domina sua *servus Hebræus* Gen.xxxix.17. & à servis *Pharaonis*, cap. xli.12. atque ipse de se dicat, quòd abreptus fuerit, *è terra Hebræorum*, Gen xl.15. vix probabile est, totam terram

istam

istam aliis regionibus sub isto nomine notam fuisse, ob familiam unam illic jam habitantem, advenam, peregrinam, ab incolis periclitantem: quin potiùs isto nomine insignitam à sæculis antiquis, etiam antequam diceretur *Terra Canaanæorum*: Nec si litem moveremus contra sententiam istam, quæ linguam *Canaanæorum* atque *Hebræorum*, unam eandémque esse asserit, quicquam nos moveret istud argumentum, quòd oppida & urbes *Canaanæorum* nomina quæ etiam *Hebræa* sunt gestârint, nam loca ista nomina sua *Hebræa* recipere potuerunt à *Semo*, *Hebero*, & suis, antequam forent loca *Canaanæorum*.

Vixit *Heberus*, cùm confunderentur linguæ & spargerentur gentes, & cùm nemo, *Hebræos* fuisse filios *Heberi*, negaverit [imò quis negaverit terram istam fuisse terram *Heberi*?] quânam ratione, & illi & illa nomen suum ab eo non reportarent, eodem modo, quo aliæ gentes à patre suo, à confusione linguarum?

§.II. *Unde Canaan, pars tantùm Canaanis.* Judic.4.2.

CAnaan cum suis à *Babylone* vagans, post confusas linguas, transito *Euphrate* per *Syriam*, perrexit versùs *Palæstinam*, atque in Aquilonarem ejus partem, rectà eum deduxit via primùm. Et quod de *Abrahamo* illuc itinerante dicunt Judæi, de isto etiam, quoad hoc, potest dici.

*Dixit Deus Abrahamo*, inquiunt illi, לך לך *vocibus duplicatis, ob duplex iter, unum ab Aram Naharaim, aliud ab Aram Nachor. Dum versaretur Abrahamus in Aram Naharaim, & Aram Nahor, vidit homines edentes, bibentes & ludentes; Dixit ergo, Nè sit portio mea in terra ista. At postquam venit* לסולמו של צור *Ad Scalam Tyriorum, vidit homines operam dantes pastinationi, vindemiationi, atque agriculturæ: & tum dixit, Sit portio mea in hac terra.* Beriſh. rabb. sect. 39.

Nota, ut *Abrahamus* in *Canaanitida* adveniens, introducatur

ducatur primùm in partem ejus Borealem, nam ibi *Scala Tyriorum*: *Canaan* pariter cum filiis ſuis, à *Babylone* pergens eâdem tendit, & partes primùm Septentrionales occupat & extra *Canaanitida* & ipſius *Canaanitidis*.

Obſerventur primò ſedes horum filiorum ejus quatuor extra *Canaanitida*.

1. *Arvadi*. ארודי Quæ vox verſionibus ferè omnibus legitur ut *Aradi*: & ejus ſedes facilè dignoſcuntur in *Arado* & *Antarado*.

*Jonath.* pro ארודי legit לוטסאי *Lutaſæos*: qui, ubinam gentium? Quum quæro apud *Aruch* quid ſibi velit vox לוטס, ille hæc citat è *Bereſhith Rabbah*: *Mulier quædam è familia* טבריגוס *Tiberini nupta eſt* ללוטס אחר: Cúmque adeò *Bereſhith Rabbam*, ſcriptum ibi reperio.

*Nupta eſt* ללסטים אחר *latroni cuidam*.

Si ſcriptum apud *Jonathanem* foret לטוסאי vice לוטסאי ſuſpicarer oculum ejus fuiſſe intentum in *Latavin* locum *Phœniciæ*; de quo mentio in *Notitia Imperii*, ubi Præſidia Romana ſub *Duce Phœnices* ſunt *Otthara*, *Euhara*, *Saltacha*, *Latavis*, &c.

*Hieroſ. Megil. fol. 71.2.* 2. צמרי *Zemari* Targumiſtis *Hieroſ.* & *Jonath.* eſt חמצי *Chamatſi*. Sic & Arabi & Gemariſtis *Hieroſolymitanis*, nec non & *Bereſhith rabbæ*: quæ eos dictos צמרי vel arbitratur, vel ludit שעושין בצמר *quòd operam navarent in lanificio*. *Chamats* autem & *Apamia*, *Hieroſolymitanis* convertuntur, ימא דאפמיא ימא רחמין *Mare Apamiæ*, inquiunt illi, *eſt mare Chamats*: Jam verò *Apamiam* iſtam, oſtendimus alibi, eandem fuiſſe cum *Sepham*: Orâ extremâ terræ Iſraeliticæ versùs Septentrionem, & ortum æſtivum.

*Bereſh. rab. ſect. 37.* *Hieroſ. chezub. fo. 35.2.*

*Bereſh. rab. ubi ante.* *Nat hiſt. lib. 5. 19.* 3. ערקי *Arki*. ערקי ארקס דליבנן. *Archæus eſt Arcas Libani*. *Plin*. *Paneas in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte*. *Abila Arca*, &c.

*Borchard.*

*Borchard. In terminos* [lege *Inter*] *Libani & Antilibani offendimus caſtrum Arachas, & Arachæo filio Canaan, exacto diluvio conſtructum.* Cap.2.f.15.

חמתי *Hamathi.* Targ. *Hieroſ. Antiochia*: Et non multùm ab iſto ſenſu *Bereſith rabbah*, quamvis verbis diverſiſſimis. סיני ארתוסייה *Sinæus* inquit & *Arethuſia.* חמתי פיפניה *Chamathi eſt Epiphania.*

*Plin. Reliqua Syria habet, exceptis quæ cum Euphrate dicentur, Arethuſios, Beræenſes, Epiphanenſes.* Nat. hiſt. lib.5.23.

Vides *Syriam Antiochenam*, & *Syrophœniciam* occupatam à *Canaanæis*, & tamen adhuc perventum non eſt in *Canaanitida.*

Pergamus ergo porrò cum *Canaane*, & filiis ejus reliquis. *Canaanæorum fines*, inquit Sacra pagina, *erant à Sidone ad Gerarem, etiam uſque ad Gazam*, Gen.x.19. Erant ab *Antiochia* inquies, & extrema *Phœnicia*, & ingenti parte *Syriæ.* Verè quidem, ut vidimus, Plantatæ erant iſtæ regiones à filiis *Canaanis*, at eos non *Canaanæos* dicit Scriptura, ſed ubi deſinunt iſtorum oræ versùs Auſtrum, inde incipiunt *Canaanæi.* Tractus ergò vel regio, ab iis prima, peculiari cognominatione vocatur *Canaan*, ut diſtincta à reliqua *Canaanitide Judic.* iv.2. ubi *Jabin rex Hazor* vocatur *rex Canaan* [id eſt Aquilonaris oræ *Canaanitidis*] Atque inter ſeptem gentes Anathemati atque exciſioni à Deo ipſo devotas, numerantur ſemper *Canaanæi*, cùm omnes quidem forent *Canaanæe*, idque ratione, ut videtur, duplici: partim quòd regio iſta diſtinctivè ſic nuncuparetur, ut alia, & peculiaris alicujus diverſitatis à regionibus iſtis habitatis à filiis *Canaanis* de quibus diximus: partim quod *Canaan* ipſe pater, ut probabile eſt, ſedes ibi ſuas fixerit, & inde & regio iſta *Canaan* ſit dicta, & tota porrò terra *Canaanitis.*

§. III.

§.III. *Perizzæi quinam.*

FIlios *Canaanis* numera in *Gen.*x. & ubinam tandem *Perrizæi ?* & tamen, quod mireris, nunquam non connumerantur isti in atro isto Catalogo, septem gentium excidendarum.

Novi, supponi à quibusdam dictos eos *Perizzæos*, quasi dicas *Paganos*, eò quod in villis & pagis degerent non munitis: Quod quidem à notatione vocis non est admodum alienum; At superfluum certè est, quum omnes familiæ *Canaanitica* enumerantur, quæ totam terram occupârunt, addere *Paganos* insuper, qui satis includebantur inter istam enumerationem.

At quod apud *Israelitas* factum novimus, apud *Canaanæos* etiam factum jure supponimus: Nempe, quòd quædam familiæ *Canaanitica* stirpis, denominatæ fuerint, non ab ipsissimo immediato filio *Canaanis*, à quo originem deduxerunt, sed à famoso ac memorabili aliquo homine istius stirpis: Nec nudâ conjecturâ hoc dicimus tantùm, sed exemplis plurimis inter *Israelitas*, & quidem inter alias gentes, & hoc, in gente ipsa ista de qua loquimur.

*Gen.xxxvi. Zibeon* erat filius *Seir*, ver.20. vocabatúrque tota gens & terra, *gens & terra filiorum Seir.* Jam verò *Seirum* istum fuisse originis *Canaanæa* satis ex hoc patet, quod filius ejus *Zibeon* vocetur *Hivæus*, ver.2. Eodem ergo modo quo *Seiritæ*, qui sanguine erant *Canaanæo*, denominati sunt à *Seiro* nobili *Canaanæo*, ità denominatos non dubitò *Perizzæos* à *Perez*, aliquo magni nominis homine, in stirpe aliqua *Canaanæa.*

§.IV. *Kenæi.*

EJusdem classis erant *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*: origine quidem *Canaanæi*, at ità denominati, à *Caino* aliquo, & *Kenazo*, & *Cadmono*, famosi nominis hominibus

in

in istis familiis. Si modò *Cadmonæi* ita dicti non fuerint ab antiquitate, vel potiùs ab habitatione eorum versùs Orientem: quam notationem subeunt *Saraceni* à [ *Saracon*,] *Oriens*.

Non convenit inter magistros traditionum quid de hisce gentibus statuendum. Apud *Hierosolymitanos*, hæc habes.

*Patres vestri possiderunt septem gentes, at vos possessuri estis terram decem gentium. Tres postremæ sunt istæ, Kenæi, Kenizzæi, Cadmonæi. R. Juda dicit. Hi sunt Salmæi, Sabæi, Nabathæi.* R. Simeon *dicit Asia,* אסטטיה *& Damascus R. Lazar. ben Jacob dicit. Asia & Cartagena & Turkia. R. dicit Edom & Moab, & primitiæ filiorum Ammon.* Hieros. Kid. dushin. fol. 61.4.

Apud Babylonicos ista.

*Dicit Samuel. Omnis ista terra quam Deus ostendit Mosi, tenetur ad decimas. Ad excludendum quid? Ad excludendum Kenæos, Kenizzæos, Cadmonæos. Traditio. R. Meir* dicit, *Hi sunt Naphtuchæi, Arabes & Salmæi. R. Judah* dicit, *Mons Seir, Ammon & Moab. R. Simeon* dicit ערדיסקים *Asia & Hispania.* Bab. bathra. fol. 56.1.

*Hæ gentes non traditæ sunt Israeli in hoc sæculo, at tradentur in diebus Messiæ.* Berish. rab. fol. 28.2.

*In diebus Messiæ, adjicient tres alias civitates refugii: Ast unde? De civitatibus Kenæorum, Kenizzæorum & Cadmonæorum: De quibus promissionem exhibuit Deus patri nostro Abrahamo, verùm illæ non sunt adhuc subjugatæ.* Maimon. in רוצה ca. 8.

Lucem de gentibus hisce, mutuari licet à verbis istis *Mosis*, Gen. x. 18. *Postea familiæ Canaanæorum sunt dispersæ*: Replerunt primò *Phœniciam*, & Septentrionalem regionem *Canaanitidis*; gradatim, totam *Canaanitida* intra *Jordanem*: Deinde se dilatârunt in terram quæ postea *Edomæorum* erat, & dictæ sunt ibi *Horitæ*, à monte

*Hor.*

*Hor*, & *Filii Seir*, à *Seiro* iſtarum familiarum patre, ipſo *Canaanæo*. Ab oriente in regiones iſtas quæ poſtea *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Midianitarum*, & dicti ſunt iſti *Kenæi*, *Kenizzæi*, *Cadmonæi*, à *Caino* quodam, *Kenazo* quodam, & fortè *Cadmono*, patribus ſuarum familiarum, ſi modò *Cadmonæi* dicti non fuerint ex cauſis antedictis.

Mentio *Caini* cujuſdam, in mentem vocat oppidum vel urbem *Cain*, quam in tabulis vides ſitam non longè à *Carmelo*: in ea *Doeti*, Belgicâ picturâ, decoratam dicam an deformem? hominis unius, alium ſagittâ impetentis cum hac inſcriptione. *Cain wert geſchoten van Lamech.* Gen.4.

Egregium verò monumentum! Obſcurus certè eſt iſte locus, *Gen.*4. & variis interpretum ſententiis factus obſcurior, & te peſſimam ex omnibus eligere ô *Doete*! Si verba *Lamechi* ſunt è textu enucleanda, [quod ſi non è contextu feceris, unde enucleabis?] hæc ſecum portant ſenſum, planum & innodem. Introduxerat ille bigamiam; vaſtaverat ea etiam univerſum mundum, *Gen.*vi. Ob ſcelus tam nefarium, & exemplo ſuo homines infinitos perdens, percutit & pungit eum juſtitia & vindicta divina, horrore & aculeo conſcientiæ, ita ut gemens & ejulans coram bigamis ſuis *Adah & Zillah*, queratur & fateatur ſe homicidam eſſe *Caino* longè cruentiorem. Is enim unum *Abelem* tantùm occiderat, ille autem juvenes ſeneſque exemplo ſuo ſcelerato infinitos.

## §. V. רפאים *Rephaim.*

INterpres *Samaritanus* hos ſemper reddit *Aſæos*. In *Gen.* xv. 20. Scriptos cum [*Cheth.*] At in *Deut.* ii. 20. cum [*Aleph.*] Si illi, ut ab eo, ſic ab aliis omnibus Syriacè & Chaldaicè loquentibus, vocarentur *Aſæi*, non novi

vi unde vox *Asia* aptiùs deducatur, quàm à memoria ſtirpis hujus Giganteæ in medio ferè *Asiæ* degentis, & præ omnibus Aſiaticis, monſtroſæ & ſtupendæ: Τιτᾶνας eos vocant LXX. ii *Sam.*v.18,22. Vox à *Samarita* adhibita, *Medicos* denotat, & ſic à meipſo redditur in Bibliis polyglottis, *Londini* nuper editis, *Deut.*ii. partim ut verbum verbo redderetur, præcipuè verò ut obſervaretur quonam ſono,& quali pronuntiatione ille legerit vocem רפאים Sic eam LXX reddunt Ἰατροὶ Eſai.*xxv.*14. *&c.*

*FINIS.*

# IN EVANGELIUM SANCTI MARCI HORÆ HEBRAICÆ ET TALMUDICÆ;

Impensæ
A JOANNE LIGHTFOOTO,
S. Theol. Doct. Collegii, sive
Aulæ, S. CATHARINÆ,
In Alma Academia
CANTABRIGIENSI
Præfecto.

CANTABRIGIÆ:
Excudebat Joannes Field, celeberrimæ Academiæ
Typographus. MDCLXIII.

# IN
# *EVANGELIUM*
# S. MARCI,
## *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ.*

---

## CAPUT I.

VERS. 1. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου.

PRædicatio & Baptiſmus *Johannis*, ipſa porta erant, oſtiumque ſtatûs atque Oeconomiæ Evangelicæ. Nam I. Per novum Sacramentum admiſſionis in Eccleſiam, oſtium aperuit novæ Eccleſiæ. II. *Meſsiam* adventantem digito demonſtrans, initium indicavit עולם הבא *mundi futuri*. III. Eo modo, quo per baptiſmum admiſerunt Judæi Gentiles, proſelytos factos, in Eccleſiam Judaicam; admittit ille & Judæos & Gentiles in Eccleſiam Evangelicam. IV. Pro doctrina Juſtificationis per opera, quâ omnem religionem conſpurcaverant Scholæ Scribarum, novam ille inducit [non novam tamen] & verè ſalvificam, *Fidei & Pœnitentiæ*.

VERS. 2. Ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις.

AMbigitur hìc de germana lectione: An ſcilicet Ἐν τοῖς προφήταις ea ſit, an Ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ. Pro priori hæc arguunt.

I. Cum duo loca citantur è duobus Prophetis congruentiùs longè dicitur, *ſicut ſcribitur in Prophetis*, quàm, *ſicut ſcribitur in Eſaia*, præſertim verò, cum locus primùm allegatus, non ſit in *Eſaia*, ſed in Propheta alio.

II. Uſitatiſſimum erat apud Iudæos [ quorum conſuetudini hac in re conformâſſe ſe Apoſtolos, in concionibus ſuis, eſt maximè probabile ] plura teſtimonia, è pluribus prophetis audire citata, ſub hac forma loquendi ככתוב בנביאים *Sicut ſcribitur in Prophetis*. Si unum tantùm, citaretur, ſi duo, ſi plura, vulgatiſſimus erat hic mos citandi, *ſicut ſcribitur in Prophephetis*: At ſine omni exemplo eſt, duobus teſtimoniis è duobus Prophetis ſumptis, poſteriorem tantùm nominare, quod hìc fit, ſi legendum foret, *ſicut ſcribitur in Eſaia Propheta*.

III. Satis liquet, ex ipſo ſcopo Evangeliſtæ, ſe ſibi propoſuiſſe, duo iſta loca citare, & ex *Malachia*, & ex *Eſaia*. Nam planiſſimè duas res agit. I. Prædicationem *Baptiſtæ* memorat, cui illuſtrandæ eundem textum producit, quem & *Matthæus* & *Lucas*, ex *Eſaia*. II. Prædicationem iſtam *Initium Evangelii* fuiſſe dicit; quod ut probet, *Malachiam* aptiſſimè citat, de nuntio mittendo, & via Domini paranda.

At quid reſpondendum vetuſtati, & tot tantisque viris legentibus, *Sicut ſcribitur in Eſaia Propheta? De hujus Scripturæ veritate dubitari miror*, inquit doctiſſimus *Grotius*, *cùm præter codicum authoritatem, & Irenæum ità citantem, manifeſta ſit veterum interpretum, Syri, Latini, Arabis conſenſio.* Verè quidem: nec negari poteſt, plurimos è veteribis ſic legiſſe, at legerunt veteres etiam, *Sicut ſcribitur in Prophetis*. Arabs unus habet, *In Eſaia Propheta*; at Arabs alius habet, *In Prophetis*; *Irenæus*,

*Irenæus*, semel legit, *In Esaia*; at bis legit, *In Prophetis, lib. 3. cap.* 11. & 18. Atque. *Ita scriptum reperimus*, inquit *Clariss. Beza* [ qui tamen alteram lectionem sequitur ] *in omnibus nostris codicibus vetustis, exceptis duobus, & illo meo vetustissimo, in quibus legimus* Ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ.

De causâ quidem immutandæ lectionis, est totus nodus quæstionis. Cur, *Sicut scribitur in Esaia Propheta*, mutaretur in, *Sicut scribitur in Prophetis*; causa apparet, inquit vir doctissimus, quia nempe testimonium duplex sumitur è duobus Prophetis. *At alterius mutandæ causa*, inquit, *nulla esse potuit.* Nam si *Marcus* in autographo suo scripserit, *Sicut scribitur in Prophetis*, quonam tandem modo irrepere potuit hæc lectio, *Sicut scribitur in Esaia*, cùm citentur planè duo Prophetæ?

Dabísne veniam, lector, innocuæ & modestæ conjecturæ?

Suspicari mihi promptum est, in codicibus Judæo-Christianorum, lectum fuisse, *In Esaia Propheta*, at in Gentili-Christianorum, *In Prophetis*: Ortámque immutationem apud *Judæos*, ex hoc quod S. *Marcus* in diversum ire videretur Canoni & consuetudini *Judæorum* receptissimis.

*Megil. fol.* 24. 1: *Qui Prophetas legit in Synagogis* אין מדלגין מנביא לנביא *Ne transiliat à Propheta uno ad alium. At in Prophetis duodecim, licet transilire: hoc solum proviso, quòd non transiliat retrorsum: id est non à posteriori ad priorem.*

Vides autem ut hìc transiliat *Marcus* [ à quo procul absit, ut tam ineptis canonibus subjiciatur ] à Propheta unius classis, nempe à Propheta qui inter duodecim, ad prophetam classis alterius; vidésque ut transiliat retrorsum à *Malachia* ad *Esaiam*. Hoc forsan non adeo placuit Christiano-*Judæis* adhuc nimiùm Judaizantibus, nec suaviter tolerarent, ut legeretur hæc allegatio in ecclesiis suis, tam discrepanter à communi more. Hinc, *In Esaia Propheta*, insertum pro, *In Prophetis*. Idque eò audaciùs quòd ista quæ à *Malachia* citantur, non exactè congrua sint vel fonti Hebræo, vel versioni Græcæ: eáque quæ ex *Esaia* citantur, ci-

citentur etiam à *Matthæo* & *Luca*: & ſenſus eorum quæ citantur è *Malachia* elici etiam poſſit è loco allegato ex *Eſaia*.

VER. 6. Ἐνδεδυμένον τρίχας καμήλου.

Talmudicis צמר גמלים

*Menachoth.* fol. 39. 2. *Veſtis non eſt ei præter laneam* לרבות צמר גמלים וצמר ארנבים: *Ad addendum lanam* [vel pilos] *camelorum & lanam leporinam.*

*Orach. Chaim.* lib. 2. 309. שעירו של צמר רחלים וצמר גמלים *Lana ovium & lana camelorum quam commiſcent*, &c.

Et paulò pòſt. ואפיל עשה בגד מצמר גמלים *Si conficiat veſtem è pilis camelorum, & contexat in ea, vel unum filum lini, prohibetur* ut Heterogenea.

Eſt qui opinatur, veſtimenta iſta *Adami* de quibus dicitur, quòd *Deus fecit iis* כתנות עור fuiſſe è pilis camelorum.

*Beriſh. Rab.* §. 20. כתורת רם מצאו כתוב כתנות אור *In lege R. Meir invenerunt ſcriptum* בתנות אור *veſtes lucis. R. Iſaac dicit, quòd fuerunt ſicut veſtimenta iſta linea tenuia, quæ proveniunt à Bethſhane. R. Samuel Bar Nachman dicit, erant* מצמר גמלים *De lana* [vel pilis] *camelorum, & lana leporum.*

Præterire non poſſumus, abſque obſervatione quod dicitur. *Quòd in lege R. Meir invenerunt ſcriptum* בתנות אור pro כתנות עור Cui par eſt illud *Ibid.* §. 9. *In lege R. Meir invenerunt ſcriptum pro* והנה טוב מאד *Et ecce bonum erat valde* והנה טוב מות *Et ecce bona res eſt mors.* Ubi per *legem R. Meir.* intelligi videtur, volumen aliquod legis, in cujus margine vel Chartulis quibusdam interſertis, criticas ſuas nugas, & ineptas in legem argutias ſcripſerat iſte *Rabbinus*, vel commentarium talem nugacem ejus aliquem in legem.

Ἐσθίων ἀκρίδας.

Venabantur locuſtas in eſcam, ii quibus non nobilior victus. Earum ſpecies [mundarum ſcilicet] *Gemariſtæ* fingunt eſſe octingentas

gentas *Hieros. Taanith.* fol. 69. 2. Acutus certè foret ille Lexicographus, qui singulatim hasce species suis nominibus describeret.

*Bab. Schabb.* fol. 106. 2. *Tradunt Rabbini:* הצר הגבים והגוין וגו *Qui venatur locustas, bruchos, crabrones, & muscas Sabbato, reus est.*

Gloss. הגוין *Sunt de genere locustarum mundarum, & comeduntur.* Et Gemara paulò pòst. *Qui venatur locustas, tempore roris* [Sabbato] *reus non est:* Gloss. *Locustæ tempore roris cæcutiunt, ita ut si tunc temporis eas veneris, gradum sistant.*

Pergit Gemara *Eliezer ben Mahbai dicit. Si eant gregatim, reus non est,* Gloss. *Si turmatim confluant, & quasi paratæ ut capiantur, reus non est qui eas venatur etiam tempore caloris.*

Vers. 13. Καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων.

Erat inter feras, at ab iis intactus: Sic *Adamus* primus ante lapsum.

Καὶ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ.

Quadraginta diebus tentabatur à *Satana* invisibiliter, & ministrabant ei Angeli visibiliter. Induit tandem *Satanas* quoq; Angelum lucis, & famulari ei, etiam ut reliqui, præ se ferens, tentationis hamum abdit artificiosiús.

Vers. 24. Ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς;

Ἡμᾶς; Quósnam? Dæmonas? an Galilæos istos in Synogoga? vide quid dicant magistri in *Massecheth derech arets Zuta, c. 6.* *In ista generatione in qua veniet Filius Davidis, inquit Rabban Gamaliel, Galilæa devastabitur, & Galilæi vagabuntur de civitate in civitatem, & misericordiam non consequentur.* Si talis fama apud gentem obtineret, aptissimam indè occasionem nactus est Diabolus in hoc Dæmoniaco, terrendi *Galilæos* à receptione Christi, quippe quòd nihil iis ab ejus adventu expectandum præter devastationem.

VERS. 38. Κωμοπόλις.

Quid hoc ſibi velit, optimè dignoſcetur, ex inveſtigatione diſtinctionis inter כרכים & כפרים & עיירות apud Hebræos, quibus reſpondent Πόλεις, & κῶμαι. & κωμοπόλις apud Evangeliſtas.

1. כרכים reddo per Πόλις. At per quamnam vocem inquies reddes עיירות? Per κωμοπόλις.

*Bab. Chetub. fol.* 110. *Vir non poteſt uxorem cogere ut eum ſequatur habitatum* לא מעיר לכרך ולא מכרך לעיר: Idoneam Latinitatem pete ex his quæ ſequuntur. שלמא מכרך לעיר *Planum eſt cur eam cogere non poteſt è civitate in oppidum,* רבכרך שכיחי כל מילי *quoniam in civitate reperienda*, vel habenda, *ſunt quælibet;* אלא בעיר *Aſt in oppido non habenda ſunt quælibet.* Gloſſ. כרך גדול מעיר *Kerach eſt major quàm Ir* [Civitas quàm oppidum] *éſtque locus platearum quò conveniunt omnes circumhabitantes ad forum, ibique habenda ſunt quælibet.* Sic & eadem Gloſſ. in *Joma. fol.* 12. כרך *eſt locus platearum quò conveniunt homines è locis pluribus*, &c.

Pergunt Gemariſtæ. *Dicit R. Joſi bar Chanina. Unde eſt quòd habitatio in* כרכין *Kerachin* [civitatibus] *eſt incommodior? Nam dicitur, Et benedixerunt omni populo qui ſeſe ſponte obtulit habitatum Hieroſolymis.* [*Neh.* xi.] Nota obiter, *Hieroſolymam* fuiſſe כרך] Gloſſ. *Habitatio in Kerachin eſt pejor, quia omnes illic habitant, & domus ſunt compreſſæ, & contiguæ, ita ut non ſit ibi aura libera. At verò* בעיר [in oppido] *ſunt horti, & paradiſi juxta domos, & aura ſalubrior.*

כרכים ergò erant 1. Civitates mœnibus cinctæ. Hinc diſtinctio iſta כרכין המוקפין חומה מימו יהשוע quòd erant quædam *Kerachin* quæ cinctæ mœnibus erant, jam indè à diebus *Joſuæ*, & quædam quæ cinctæ poſtea. 2. Civitates emporicæ vel nundinales, & majores & nobiliores.

2. כפרים ergò erant villæ, vel pagi, in quibus non erat Syna-

Synagoga. Hinc illud פטק' הראש in *Megil. cap.* 1. כרך שאין בו ' בטלנין נרון ככפר *Kerak*, [Civitas] *in qua non ſunt decem viri qui conſtituant Synagogam, reputanda eſt pro villa. Et Megil. cap.* 1. ubi tenentur quidem villæ ad legendum librum *Eſtheræ* in feſto *Purim*; ומקרימ' ליום הכניסה at indultum iis eſt ut hoc facerent die Synagogico: id eſt, cùm non apud ſe haberent Synagogam, ſed ad vicinum aliquod oppidum, ubi erat Synagoga, ſeſe conferre oportebat, permiſſum eſt ut eò ſe reciperent die conveniendi in Synagoga, hebdomatim ſtatuto, & non laborem itineris alio die ſuſciperent, utcunque per legem iſti lectioni deſtinato.

3. עיר: quæ vox vulgò *urbs* vel *civitas* redditur, generaliter & urbes munitas denotavit, & oppida etiam non munita ubi erant Synagogæ, & villas ubi non erant. Hinc diſtinctio illa, עיר גדולה *Urbs magna ea erat, ubi erat Synagoga*; עיר קטנה *Urbs parva, ubi non erat.*

Per κωμοπόλεις ergò hìc intelligenda oppida, ubi erant Synagogæ, quæ tamen non erant vel munita vel mercatoria: Apud nos Anglos *Church-towns.*

---

## CAP. II.

### Vers. 4. Ἀποστέγασαν τὴν στέγην, &c.

Subit hìc Phraſiologia iſta דרך גנין *Bab. Moed. Katon. fol.* 25. 1. *Cùm mortuus eſſet Rabh Houna, feretrum ejus per oſtium efferri non potuit*, ob nimiam oſtii anguſtiam, סבור שלשולי דרך גנין *Viſum eſt ergò iis per tectum* [ſive viâ tecti] *illud extrahere & demittere. At dixit iis Rabh Chaſila, Ecce ab ipſo didicimus, Quòd in honorem ſapientis cedit, efferri per oſtium.*

*Bava Mezia.* fol. 88. 1. *Scribitur*, Et comedent intra portas tuas [*Deut.* xxvi. 12.] *hoc eſt, cùm introitus in domum eſt per*

*portam.* לאפוקי דרך גגות *Ad excipiendum viam per tectum.*
*Ibid fol.* 117. 1. דרך פתחים משתמש או דרך גגין משתמש. *Num in domum intrat, viâ utens per portam? an viâ utens per tectum?*

Agit locus de domo, in cujus parte inferiori habitat poſſeſſor, ſuperior autem [ὑπερῶον] elocatur alteri: Quæritur ergò quânam viâ intrandum eſt illi qui cœnaculum habitat, an per oſtium, & loca inferiora ubi habitat poſſeſſor? an ſcandendum eſt ad tectum דרך גגין per viam ad tectum: id eſt, ut Gloſſ. *Ut aſcendat extra domum per ſcalam appoſitam, ob ingreſſum in* ὑπερῶον, *& ſic ingrediatur in* ὑπερῶον;

Admotis ſcalis, aut forſan ibi antea fixis, primò hunc paralyticum ſurſum trahunt Ἐπὶ δῶμα, ſuper tectum., *Luc.* v. 19. Deinde, cùm oſtium quidem in omni tecto foret, per quod à partibus domûs inferioribus aſcenſum eſt in tectum, hoc autem anguſtum nimis eſſet grabato & ægroto demittendo, illi ſpatium illud dilatant, evulſis tegulis circumpoſitis.

Bene: perfoſſo tecto, demittitur paralyticus εἰς τὸ ὑπερῶον· Illic ſedit Chriſtus, & Phariſæi, & legum Doctores cum eo ſimul, & non in partibus domûs inferioribus.

Nam uſitatum iis erat cùm de lege aut religione diſceptarent, in cœnaculnm aſcendere.

*Schabb. cap.* 1. *hal.* 7. *Hæ ſunt traditiones quas docuerunt* בעליית *In cœnaculo Hananiæ, ben Hezekiæ, ben Garon.*

*Hieroſ. Sanhedr. fol.* 24. 3. *Aſcenderunt ſeniores* לעליית *In cœnaculum in Hierichunte. Aſcenderunt etiam in cœnaculum in Iabneh.*

*Fuchaſ. fol.* 23. 2. *Rab. Jochanan & diſcipuli ejus aſcenderunt* εἰς ὑπερῶον, *& legerunt & expoſuerunt.* Confer *Marc.* xiv. 15. *Act.* 1. 13. & xx. 8.

Vers.

VERS. 7. Τὶς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας.

Sanhedr. fol. 38,2. *Dixit hæreticus quidam* מן *Rabb Idith.* Scriptum est, Et Mosi dixit, Ascende ad Iehovam [*Exod.* xxiv. 1.] Ascende ad me, *dicendum esset potiùs. Respondet ille, Hic est Mitatron, cujus nomen est sicut nomen Domini sui, sicut scriptum est.* Nomen meum est in eo [*Exod.* xxiii. 21.] *Si sic, tum, inquit alter, colendus est ille. Cui Idith, scriptum est* אל תמר בו אל תמירני בו Propriè. *Nè exacerbes,* vel irrites eum, at illi pravè & perversè legunt: *Nè mutes pro eo, nè me commutes pro eo. Si sic sit sensus, inquit alter, quid hoc sibi vult?* Ille non remittet peccata vestra. *Respondit ille, verè quidem* אפילו בפרונקא נמי לא קבלנוה *Nam eum nè pro nuntio quidem recepimus.* Gloss. Ille non remittet peccata vestra, *id est, Non potest remittere peccata vestra, & quid tum ab eo emolumenti? Nam penes eum non erat potestas remittendi peccata nostra, nos ergo eum repudiavimus,* &c. Repudiâstis quidem eum in quo erat Nomen *Jehovæ*: at eheu quàm malo vestro!

VERS. 9. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον εἰπεῖν, &c.

Qui observaverit usum vocabulorum נִיחָא & קְשִׁיָא in scholis Iudaicis [aderántque jam cum Christo Scholastici] non incongruè opinari potest, Εὐκοπώτερον parem esse voci נִיחָא; quæ rem, aut sensum planum, innodem, & absque scrupulo, denotat, contrarium קְשִׁיָא. Ac si dixisset Salvator, Nonne planior sensus fuisset, & ad rem præsentem accommodatior, dixisse, *Surge, & tolle grabatum,* quàm dicere, *Remittuntur tibi peccata?* Ego autem ita dico, *ut sciatis filium hominis habere,* &c. Non de facilitate prolationis verborum loquitur, sed de facilitate sensûs. Et ego verba sic redderem, *Num facilius est dicere paralytico, Remissa sunt tibi peccata, quàm dicere?* &c. *An dicere,* ut vulgò redditur, sensum quidem habet non improbandum; at, *Quàm dicere,* habet ἐμφατικώτερον. Num facilior sensus, quoad rem præsentem,

ſentem eſt dicere, *Remittuntur tibi peccata*, quàm dicere, *Surge*, &c.

VERS. 12. Ἐξῆλθεν ἐνωπίον πάντων.

Optimè quidem redditur *coram omnibus:* & verè quidem reddi poſſit etiam, *contra omnes*, pro alia ſignificatione vocis Ἐναντίον. Id eſt, cùm adeò conferta eſſet turba, ut nulla per eam, egrediendi via foret, ille non modò ſanus factus, ſed & ſtrenuus, & robuſtus per turbam prementem preſſit, & viam viriliter cum grabato ſuccollato fodit.

VERS. 16. Καὶ ἁμαρτωλῶν.

Qualeſnam illi? *Sanhed. fol.* 25. 2. *Aleatores, fœneratores, prædones, publicani, paſtores pecorum minutiorum, vendentes fructum anni ſeptimi, pugnis avium lucrum facientes*, &c.

VERS. 26. Ἐπὶ Ἀβιαθὰρ τοῦ Ἀρχιερέως.

Notum ſatis eſt, quid hìc dicatur in patrocinium puritatis textûs: *Achimelechum* patrem ſcilicet vocari *Abiatharum*, ac *Abiatharum* filium vocari etiam *Achimelechum*. At arbitror ego etiam aliquid ulteriùs propoſitum fuiſſe à Salvatore in his verbis. Nam vulgare erat Iudæis, ſub *Abiathare*, intelligere *Urim & Thummim*. Nec immeritò, cùm pateat, & ſub patre filióque, utroque iſtius nominis, frequentiorem eſſe mentionem, diſquiſitionis per *Urim & Thummim*, quàm uſquam unquam aliàs, & poſt *Abiatharum* filium vix ſit mentio omnino. Congruentiſſimè ergo addit Chriſtus ἐπὶ Ἀβιαθὰρ Ἀρχιερέως, cum receptiſſima apud gentem ſententia loquens: ac ſi dixiſſet, *David* comedit panes propoſitionis ei exhibitos à pontifice, cui aderat oraculum per *Urim & Thummim*, & qui egit directione divina.

*Bab. Sanhed. fol.* 16. 2. *Ahitophel, hoc eſt conſiliarius, Benaiah filius Iehojadæ, hoc eſt Synedrium.* אביתר אילו אורים ותמים *Abiathar, hoc eſt, Urim & Thummim.*

CAP.

## CAP. III.

### Vers. 4. Οἱ δὲ ἐσώπων.

IN mentem hoc revocat parem geſtum *Synedrii*, in judicando ſervo *Jannæi* regis, homicidâ, cùm præſens in Synedrio foret ipſe *Jannæus*, *Sanhed. fol.* 19. 1. Reum illum fuiſſe ſatis compertum eſt, at præ timore ſententiam ſuam proferre non ſunt auſi, cùm eam exigeret *Simeon ben Shetah* Synedrii præſes; נפנה לימינו כבשו פניהם בקרקע. A *dextra reſpexit, atque illi oculos fixerunt in terram.* A *ſiniſtrâ, atque illi oculos fixerunt in terram*, &c.

### Vers. 17. Βοανεργές.

Vide quænam hìc *Beza*. Quibus hæc regerit *Doctiſs. Hugo Broughtonus* noſter, in his ſtudiis exercitatiſſimus. *Judæi in hunc uſque diem Ceva per* o a *enuntiant, ut Noabhyim pro Nebhyim. Sic Boanerges. Cùm Theod. Beza Benerges ſcriptum velit, ipſi Judæi Evangelium noſtrum defendent.*

Duriùs certè & audaciùs eſt ſcripturam S. *Marci* ob hanc pronuntiationem, ut corruptam incuſare, cùm Iudæis pronuntiatio quarundam literarum, vocalium, vocum, adeò varia eſſet, & indifferens, ut aliàs in *Galilæa* pronuntiarent, aliàs in *Samaritide*, aliàs in *Judæa*. *Et memini* [inquit clariſs, *Lud. de Dieu in præfat. ad* Apocal. Syriac.] *me à clariſsimo viro D. Erpenio audire, ſe ex ore doctiſsimi cujuſdam Maronitæ habere, nullis præceptis Grammaticis, ac vix viva voce, doceri poſſe, quem ſonum Scheva habeat apud Syros.*

Caſtellum illud noti nominis, quod *Joſepho*, *Plinio*, *Solino*, aliiſque vocatur *Maſada* [Hebr. מצדה] Straboni eſt *Moaſada* ſono voci huic noſtræ admodum Symphono. *Geograph.* lib. 16. Πέτρας τινὰς ὀπικαμπύλας ἀείκυνον Τραχείας περὶ Μοασάδα· ubi eum de *Maſada* loqui, eſt extra omnem controverſiam.

II. De

II. De voce *Erges* etiam controvertitur: quonam modo ad *tonitru* applicetur est obscuriùs. At judicium tuum ô candide Lector, quid sit רגשא in hac historia.

*Megillah fol.29.1. Pater Samuelis sedit in Synagoga Shaph, & Iathib, in Nehardea:* אתיא שכינתא *Venit divina gloria* שמע קולא רגשא ולא נפק *Audivit ille vocem* רגשא, *at non exiit, venerunt Angeli & fuit exterritus.*

De voce רגשא silent glossatores. Nec fidenter quidem reddimus *tonitru*, nec bene novimus tamen, qua versione eam aptiùs donaremus: Si modò non ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας denotet, ut Act.ii.2. sed penes lectorem esto judicium.

III. Æquè obscura est ratio nominis, duobus hisce discipulis inditi, ac notatio vocis. Hoc tantùm, in hac re habemus certi, quòd nusquam comperire est eos appellatos hoc nomine alibi. Christus *Simonem* vocavit *Petrum*, ac pariter alii eum vocârunt *Petrum*, atque ipse seipsum: At nusquam reperies *Jacobum* vocatum *Benerges*, aut *Johannem* ita vocatum, vel à seipsis vel ab aliis. Cætera conjecturæ sunt concredenda.

IV. Notum satis est, quid sibi vellet apud *Judæos* Phrasiologia בת קול *Bath Kol, Filia tonitrui.* Alio vocabulo utens Salvator, aliud ut videtur respexit nominis *etymon.* At quodnam illud, quæritur. *Simonem* vocavit *Petrum*, respectu habito ad operam ab eo navandam, in ædificanda Ecclesia Gentilitia super *Petram*: Nam is januam primus aperuit introductioni Evangelii inter Gentiles. An *Jacobus* et *Johannes* nuncupati fuerint *Filii tonitrui*, respectu habito ad strenuam eorum sermocinationem contra *Judæos*, nec audemus dicere, nec possumus negare. *Jacobus* hoc fecit, ut videtur, in capitis sui dispendium. Act.xii.

At quid si alludum hìc sit ad duos Registrarios, aut Scribas Synedrii? quorum unus à dextra sedit, alter à sinistra, ille suffragia absolventium scripsit, hic damnantium. *Sanhed. fol.35.1. & Maimon. in Sanhed. cap.1.* Aut ad ipsum præfectum et vice-præfectum?

fectum? quorum ſententia definitiva, collectis totius Synedrii ſuffragiis, erat inſtar tonitrui & fulminis damnatis, atque omnibus videbatur inſtar oraculorum è *Sinai* exhibitorum è fulgure & tonitru.

V. At quicquid illud erat in animo Salvatoris, quod eum movit, ut hanc agnominationem iis imprimeret, cùm hi duo fratres, præ omnibus aliis diſcipulis, ignem cœlitùs demiſſum voluerunt in oppidum illud *Samaritícum*, quòd *Chriſtum* hoſpicio excipere noluit, *Luc.* ix. 54. ſecundùm ſenſum hujus cognominationis actitâſſe videntur. Cúmque mater eorum ſedem huic à dextra, illi à ſiniſtra *Chriſti* imploraret, fiduciam de tali re impetranda, ex hoc, ut probabile eſt, traxit, quòd *Chriſtus* eos nomine tam honorifico, præ aliis diſcipulis inſigniſſet: Cúmque *Johannes* ipſe, ſeipſum vocet *Presbyterum* κατ' ἐμφασιν, ſatísque notus iis fuerit ad quos ſcripſit, ſub nudo hoc titulo ὁ πρεσβύτερος, non poſſum ego non ſuſpicari, diſtinctivum iſtum charactera hinc ortum. Erant quidem omnes Apoſtoli etiam *Presbyteri*, quod & de ſeipſo ait *Petrus*, 1 *Pet.* v. 1. at quæro ego, an aliquis è duodecim præter hunc noſtrum [ mortuo jam fratre *Jacobo* ] notus eſſe potuit abſentibus ſub hoc titulo ὁ πρεσβύτερος, nomine propriò, non adjecto: ut in duabus poſterioribus ſuis epiſtolis.

VERS. 21. Ὅτι ἐξέστη.

Talmudicis שף דעתיה & נתרפה דעתו

*Maimon. Geruſh.* cap. 2. *Si quis mutus fiat,* ונכונה דעתו, *& tamen ſanæ eſt mentis, dicántque ei, Num conſcribemus libellum repudii uxori tuæ? iſque capite annuat, ter experiuntur, &c. Et neceſſe eſt ut accuratiùs de eo experimentum habeant,* שמא נטרפה דעתו *Ne forte mente exceſſerit.* Hoc intelligendum eſt de muto, ita facto ex ictu aliquo paralytico aut apoplectico; qui aliquando quidem intellectum ſauciat.

*Moed Katon.* fol. 26. 2. *Tradunt Rabbini: Si ægrotet quis, atque interim moriatur aliquis de ſuis, non notum ei faciunt quòd mortuus eſt* שמא תטרף דעתו *Ne turbetur intellectus ejus.*

*Bava Mezia.* fol. 84. 1. *Quidam mortuum* R. Simeonem *ben Lachiſh ſic deflevit. Ubi tu O bar Lachiſh? Ubi tu O bar Lachiſh?* יהורה קא צוח עד דשף דעתיה *Et ſic exclamavit uſque dum periret intellectus ejus*: nam ſic reddit gloſſa.

Quàm aptè Phraſiologias haſce exprimat vox Ἐξέστη, promptè ab eo obſervatur, qui utramque linguam callet. Et *Judæus* hæc legens apud *Marcum*, illico recurreret ad ſenſum Phraſium iſtarum apud gentem ſuam: quæ non ſemper inſaniam, aut alienationem à ſeipſo, proprio ſenſu, ſignificant, ſed aliquando frequentiſſiméque turbationem aliquam intellectûs, pro præſenti, ex vehementi nimiùm aliquâ paſſione. Sic dicunt amici Chriſti נטרפה דעתו Sui eſt oblitus, & ſalutis ſuæ adeò vehemens ille & fervidus, in munere ſuo fungendo & concionando, ut ultra ſe tranſportetur, & turbetur intellectus ejus, ut nec de neceſſario cibo curet, nec de ſomno. Apologiâ quidem opus habent iſti amici ejus, quòd non ſaniùs, & ſanctiùs, & ſapientiùs de eo conciperent; at certe vix credibile eſt eos in planam & abſolutam amentiam, & puram mentis alienationem, eum incidiſſe, fuiſſe arbitratos. Nam verſatus ille fuerat inter turbas antea ſemper et ubique, et tamen hoc de eo non dicunt ſui; at jam ad propriam domum *Capernaum* ille receſſerat, ubi quies ei et receſſus jure poſſent exſpectari; aſt irruunt et illic in eum turbæ, ut etiam domi ſuæ non poſſit mensâ aut lecto ſuo frui, Amici et conſanguinei ergo ejus *Nazarethani* [inter quos mater, *ver.* 31.] hoc audientes, unanimiter ad eum accurrunt, ut eum à turba abſtrahant, nam dixerunt inter ſe Ἐξέστη Tranſportatur ultra ſe nimiùm et ſui eſt oblitus.

CAP.

## CAP. IV.

### Vers. 1. Ἤρξατο διδάσκειν.

Incepit *docere*. i. e. *Docuit*. Uſitatiſſimâ ſcriptoribus hiſce ſacris Phraſiologiâ, quippe quòd uſitatiſſimâ genti.

*Hieroſ. Sanhedr.* fol. 18. 3. שרי רב כהנא מאריך בצלותיה *Incepit Rabb Canah prolixus eſſe in oratione ſua*: i. e. Prolixus fuit.

*Ibid.* fol. 23. 3. שרי ההוא תלמידא בכי *Incepit ſcholaris iſte flere*. i. e. flevit.

*Beriſh. rabb.* ſect. 33. שרי געי *Incepit bos mugi re* i. e. mugiit.

*Ibid.* ſect. 64. *Cùm ad Rabbinos perlatæ forent literæ tyranni* שרון בכיין *Inceperunt flere*: i. e. flêrunt.

Aliam etiam vocem adhibet Evangeliſta hic noſter, idque vicibus ferè innumeris. Adhibent & alii, verùm non adeò frequenter, vocem ſcilicet Εὐθὺς & Εὐθέως, quæ voci מיד reſpondet, Talmudicis tritiſſimæ. Apud hunc noſtrum occurrit ſepties aut octies in ipſo capite primo, alibíque frequentiſſimè: idque non rarò, pro more Idiomatis magis, quàm ex neceſſitate rei ſignificatæ.

### Vers. 4. Ὃ μὲν ἔπεσεν.

*Bav. Mezia*. fol. 105. כדי נפילה *Secundùm quod cadit*. Gloſs *Secundùm menſuram quam ſeminat*. Et loquuntur ibi Gemariſtæ de מפולת יד *Semine cadente è manu*: i. e. quod è manu jactatur ſerentis: & de מפולת שוורים *Semine cadente à bobus*: i. e. quod ſerentibus bobus *ſpargitur & ſeminatur*. *Nam ut* Gloſs: *Eſt ubi manu ſerunt, & eſt ubi ſemen indunt plauſtro foraminibus frequenti: & boves agunt ſuper terram aratro verſam, & ſemen foraminibus percolatur.*

VERS. 5. Διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς.

Nam erat petrosum, cujus gleba & crassa satis & admodum fertilis: at hæc quam supponit parabola, crassitudine ista caruit. *Setah.* fol. 34. 2. *& Chetubb.* 112. 1. *Non est fertilior tibi terra inter omnes terras, quàm terra* Ægypti; *nec fertilior regio in* Ægypto, *quàm* Zoan. *Et tamen* Hebron *septuplo ei supereminet, quæ erat petrosa.* Nota illud: erat petrosa, & tamen adeò fertilis.

VERS. 7. Επὶ τὰς ἀκάνθας.

Supponit parabola שרה שלא נתקוצה *Agrum non exacanthatum* vid. *Sheviith.* cap. 4. hal. 2.

VERS. 11. Ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω.

Οἱ ἔξω, *Judæis* erant Ethnici, desumptâ inde Phrasiologiâ, quòd omnes terras & regiones præter suam vocarunt חוצה לארץ *Extra terram.* Visne accuratum istius disterminationis exemplum?

*Bava Bathra.* fol. 27. 2. *Arboris, cujus pars dimidia nascitur intra terram* Israeliticam, *& dimidia pars extra terram, fructus qui decimandi sunt, & fructus communes confunduntur: verba sunt Rabba. At Rabban* Simeon *ben* Gamaliel *dicit, Ista pars quæ nascitur intra locum, qui tenetur ad decimationem,* [ i. e. intra terram Israeliticam ] *est decimanda; Ista quæ in loco à decimatione immuni,* [ i. e. extra terram ] *est immunis.* Gloss. *Nam si radices arboris sunt extra terram, est immunis, etiamsi arbor ipsa per sedecim cubitos se extendat intra terram.*

Hinc ספרים חיצונים Libri οἱ ἔξω vel extranei, sunt libri Ethnici ספרים החיצונים של חכמת יונית *Libri extranei sapientiæ Græcæ.* Aruch in voce מרוס

Hæc vulgatissima Phraseos significatio: Et dira certe præsagit, cùm beatissimus Salvator gentem *Judaicam*, ipsissimâ eâdem agnominatione stigmatizat, quâ soliti sunt illi nuncupare Ethnicos.

Oc-

Occurrit & vox חיצונים apud Talmudicos, cùm ipſos *Judæos* etiam ſignificat, hoc eſt nonnullos de gente *Judaica*.

*Megill.* fol. 24. 2. Opponuntur hinc קראים *Karaitæ* qui traditiones reſpuerunt, illinc חיצונים οἱ ἔξω, τοῖς חכמים *ſapientibus*.

*Qui dat Phylacteria ſua*, inquiunt, *in fronte ſua, aut in palma ſua* הרי זו דרך הקראים *Ecce morem ſequitur Karaitarum. Et qui unum ex iis auro obducit, datque ſuper veſtem quæ eſt ad manum* הרי זו דרך החיצונים *Ecce is morem ſequitur* τῶν ἔξω. Ubi Gloſs חיצונים *Sunt homines qui proprium arbitrium ſequuntur, & non ſententiam ſapientum.* Supponũtur geſtare Phylacteria, atque eſſe *Judæi*, at cùm pro libitu ſuo agunt, ſpretis regulis ſapientum, reputantur ut οἱ ἔξω, vel Ethnici: Sic tota gens *Judaica* cenſore Chriſto, quæ ſpernit ſapientiam Evangelicam.

Ἐν παραβολαῖς πάντα γίνεται.

1. Quam longè fallitur gens *Judaica* de temporibus *Meſsiæ*. Præcurſorem ejus *Eliam* arbitrantur difficilia omnia enucleaturum, ſcrupulos ſoluturum, atque omnia plana redditurum, ita ut cùm poſt eum advenerit *Meſsias*, nihil obſcuri vel tenebricoſi futurum in lege et religione. Hinc hæc et hujuſmodi.

*Bav. Mezia*, cap. 1. hal. ult. *Invenit quis apud ſe Schedulam contractuum, & non novit quid ſibi velit* יהא מונח עד שיבא אליהו *Reponatur uſque dum advenerit* Elias.

Et plura in eodem tractatu, de rebus repertis, cùm non innoteſcit cuinam ſint reddendæ, *Reponantur uſque dum advenerit* Elias.

*Menachoth.* fol. 45. 1. פרשה זו עתיד אליהו לפרשה *Periochen iſtam* Ezek. xlv. 18, 19. Ubi עולה *Holocauſtum*, vocatur חטאת *ſacrificium pro peccato, explicaturus eſt* Elias. Infinita occurrunt iſtiusmodi.

Aſt eheu! falleris ò *Judæe*: clara quidem facta ſunt omnia ad ſalutem æternam facientia, Evangelizantibus cùm advenirent

*Elia*

*Elia* et *Meſsia*, *Baptiſta* et *Chriſto*, at tibi obſcura, et ex voluntaria tua cœcitate, qui oculos animúmque obturâſti contra ſalvificam doctrinam Evangelii, et ex juſto *Meſsiæ* judicio, qui jure in nebulis atque involucris concionatus eſt iis, qui ſolem et ſerenam lucem videre noluerunt.

Hinc dies iſtius Judicii et vindictæ.

I. Vocatur *Dies Domini Magnus*, *& Tremendus*, *Act.* ii. 20. 2 *Theſ.* ii. 2,3.

II. Deſcribitur ut conſummatio mundi. *Hierem.* xxiv. 24. *Mat.* xxiv. 29. *&c.*

III. In Phraſiologia, *In ultimis temporibus*, *Eſai.* ii. 1. *Act.* ii. 17. 1 *Tim.* iv. 1. 2 *Pet.* iii. 3. Id eſt in ultimis temporibus iſtius urbis & œconomiæ.

IV. Exinde, Initium Novi Mundi. *Eſai.* lxv. 17. 2 *Pet.* iii. 13.

V. Deſcribitur vindicta Chriſti illa in iſtam gentem; ut

Adventus ejus. *Johan.* xxii. 21. *Heb.* x. 37.

Adventus ejus in nubibus. *Apoc.* i. 7. In gloria cum Angelis, *Mat.* xxiv. 30. *&c.*

VI. Deſcribitur ut Inthronizatio Chriſti, et 12 Apoſtolorum judicantium 12 tribus Iſraelis, *Mat* xix. 28. *Luc.* xxii. 30.

Ut torſerint interpretes verba iſta, *Num lucerna ſubter modium*, *&c.* et *Nihil eſt abſconditum*, *&c.* videas etiam abſque lucerna: Senſus facillimus colligitur ex contextu. Cùm Chriſtus parabolis loquitur, *lucerna ponitur ſubter modium:* At non *ad hoc venit*, inquit, *lucerna* ut ſic occuletur, nec quidem æquum foret eam ita abſcondere, niſi quòd hoc voluerit juſtitia divina ut iſti qui nolunt lucem videre, luce non potiantur: At *nihil abſconditum eſt*, quod non per claritudinem doctrinæ Evangelicæ, fiet manifeſtum, modò adſint oculi qui lucem non reſpuunt, et voluntarié cœcutiunt. Vos ergo cavete ut audiatis, ne pares iſtis ſitis: et metiatur vobis juſtitia divina eâdem menſurâ quâ menſa eſt illis, nempe eos nunquam audituros, quia nolunt audire.

CAP.

## CAP. V.

VERS. 1. Εἰς τὸν χώρον τῶν Γαδαρηνῶν.

SIc etiam *Lucas*: At *Matthæus* Εἰς τὸν χώραν Γεργεσηνῶν. Et quòd ſine obſervatione præteriri non debet, *Marcus* & *Lucas* qui *regionem Gadarenorum* eam vocant, de uno tantùm dæmoniaco mentionem habent, at *Matthæus* qui regionẽ *Gergeſenorum* eam vocat, de duobus. Novimus quæ hìc dicantur à commentatoribus in reconciliationem Evangeliſtarum. Nos ex ipſiſſima diſtinctione vocum, quâ utuntur Evangeliſtæ, reconciliationem petimus hiſce concluſionibus.

I. Dicimus regionem *Gergeſenorum* latioris fuiſſe ſpatii & ſignificationis, quàm fuit Regio *Gadarenorum*, regionémque *Gadarenorum* intra eam fuiſſe concluſam. Nam dictáne ea fuerit, à veteri iſta *Canaanæorum* familia *Gergaſæitica*, an à natura ſoli lutoſâ & argillaceâ, quæ גרגשתא *Judæis* dicebatur, quod magìs credimus, latioris erat extenſionis quàm *Gadarena*: [ quæ unicam tantùm urbem denotavit, & regiunculam ei adjacentem minutiorem, & *Gadarenæ* poſſeſſionis ] Hæc autem & *Gadarenam*, & *Hippenam* & *Magdalenſem*, ſi non alias etiam intra ſe comprehendit.

II. Dicimus *Gadaram* fuiſſe urbem Ethnicorum [ Hinc minus mirum ſi inter eos tot porci ] quod & probamus alibi cùm agimus de regione *Decapolitana*.

III. Dicimus duos quidem fuiſſe dæmoniacos, ſecundùm *Matthæum*, unum *Gadarenum*, alterum aliunde quàm è regione *Gadarena* adventantem, nempe à loco aliquo in regione *Gergeſena*.

IV. Credimus *Gadarenum* iſtum fuiſſe Ethnicum, *Marcúmq;* & *Lucam*, ex inſtituto de eo tantùm mentionem habuiſſe, ut hiſtoriam indè exhiberent celebriorem. Intelligeret quiſpiam chorographiæ terræ Iſraeliticæ peritus, regionem *Gadarenam* fuiſſe

isse possessionis Ethnicæ; eam ergò insigniunt isto nomine, ut statim perciperetur, cum Dæmoniaco Ethnico Christum jam rem habere, quòd rariùs, & exceptâ filiâ *Syrophœnissæ*, sine exemplo. *Matthæus* magnitudinem miraculi describere voluit, duos ergò memorat miserrimè obsessos: at *Marcus* & *Lucas* unum tantùm seligunt, eúmque memorabiliorem, ex hoc ipso, quòd esset *Gadarenus*, & ex consequenti, *Ethnicus*. Hæc perpensa, non pacem tantùm firmant inter Evangelistas, sed & historiam reddunt longè clariorem. Nam

1. Notandum est quòd adjurat *Christum* Diabolus iste, nè eum torqueat, vers. 7. quod non alibi ab eo factum: Ac si ille extra Jurisdictionem Christi existeret, non inter populum ejus, Judæos versans, sed inter Ethnicos.

2. Nec alibi quempiam de nomine suo interrogat *Christus* præter hunc solum, quippe qui foret singularioris exempli & historiæ.

3. Ethnica cognominatio Λεγεὼν, Ethnicum eum arguit de quo historia.

4. Multùm precabantur Diaboli, nè eos extra regionem emitteret, nam inter Ethnicos existentes, inter suos se esse arbitrabantur.

Duos ergò istos apud *Matthæum*, *Gadarenum* unum, & Ethnicum, *Gergasenum* alium aliunde, & *Judæum*, non sine mysterio conjunctim sanavit Salvator, ut solatium foret in *Christo*, & *Judæis*, & *Gentilibus* contra potestatem & tyrannidem *Satanæ*. Ex istis duobus, notabiliorem memorant *Marcus* & *Lucas*.

VERS. 9. Λεγεὼν ὄνομά μοι.

I. Numerosum cœtum effatur hæc cognominatio, interprete Diabolo hoc in loco, *Legio*, inquit, *mihi nomen est, nam multi sumus*.

Et apud *Judæos*, cùm quis magnum cujusvis rei numerum eloqui vellet, non inusitatum erat, *Legionem* nominare.

*Berish.*

*Beriſh rabb. ſect.* 20. *R. Eliezer ben Simeon dicit* נוח לו לאדם לגדל לגיון אחד של זיתים בגליל *Facilius eſt homini legionem olivarum enutrire in Galilæa, quàm puerulum unum educare in terra Iſraelis.*

II. Talmudicis, *Legio*, cœtum immundum effatur, ſaltem omnes Legiones reputârunt pro immundis.

*Cholin. fol.* 123. 1. *Tradunt Rabbini* לגיון העובר *Legio tranſiens à loco in locum, ſi in domum aliquam introeat, domus indè fit immunda.* שאין לך כל לגיון ולגיון שאין לו כמה קרקפלין *Non enim eſt ulla legio, quæ non habeat aliqua Carcaphalia. Et nè de hoc mireris, Cùm Carcaphalion R. Iſmaelis affigeretur capitibus regum.* קרקפל inquit Gloſſ. *eſt cutis capitis à mortuo detracta, quâ utuntur in incantationibus.* Græcum eſt, ait *Aruch*, [Καρακεφαλὴ.]

III. Quid de legionibus Romani, erue è verbis *Cæſaris* ad *Hiſpanos. Comment. de bell. civil. lib.* 6. *An me deleto non animadvertebatis, decem legiones habere populum Romanum, quæ non ſolùm vobis obſiſtere, ſed etiam cœlum diruere poſſent?*

Quantæ tum vires plùs quàm duodecim legionum Angelorum!

VERS. 14. Ἀνήγγειλαν εἰς τοὺς ἀγρούς.

*Nuntiaverunt in agris?* Quibúſnam tandem? Num operantibus, vel itinerantibus in agris? Sic *cap.* vi. 36. Ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς, ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους. *A quibúſnam quæſo coemant in agris?* & verſ. 56. Καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας, ἢ ἀγροὺς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθουν τοὺς ἀσθενοῦντας. Quænam tandem Ἀγοραὶ in agris?

*Bab. Beracoth. fol.* 37. 2. *Dicit Rabba. Cibus iſte farinaceus* דחקלאי מפישי ביה *incolentium agros in quo multum farinæ miſcent, ſuper eo gratias agunt.* חקלאי inquit Gloſſ. ſunt בני כפר *Incolæ villarum.* Et *Aruch*, חקלייתא inquit, *ſunt homines privati qui degunt in agris.* id eſt, Sparſis hìc illic ædibus, & non in locum unum congregatis, quod fit in oppidis & urbibus.

VERS. 15. Σωφρονοῦντα.

נכונה רעתו.

VERS. 23. Τὸ θυγάτριόν μου.

Ἡ γὰρ θυγάτηρ. *verſ.* 42.

*Maimon. in* אישות cap. 2. *Filia à die nativitatis ſuæ uſq; dum compleat duodecim annos* קטנה נקראת או תינוקת *vocatur parvula aut puellula.* מבת יב שנה ויום אחד *At cùm explevit duodecim annos & diem unum* נקראת נערה *vocatur adoleſcentula.*

VERS. 26. Καὶ πολλὰ παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν.

Nec mirum: nam vide quàm varia & multiplicia medicinarum genera præſcribantur fœminæ profluvio laboranti. *Bab. ſhabb. fol.* 110.

*Dicit R. Jochanan.* לייתי מתקל זוזא קומא אלכסנדריא *Adduc* [ vel recipe ] *Gummi Alexandrini pondus zuzæi.*

ומתקל זוזא גבי"ת נילז"ת *Et aluminis pondus zuzæi.*

ומתקל זוזא כורכמא רישקא *Et croci hortenſis, pondus zuzæi.*

ולישחקינהו בהרי הדרי לזבה תלת"ת בחמרא *Conterantur hæc unà, & in vino dentur fœminæ hæmorroïſſi,* &c.

*Quòd ſi hæc non proſint.*

לייתי תלת"ת קפיזי שמכי פרסאי *Recipe ceparum Perſicarum ter tria log, vino coquantur, atque indè eam potes, dicáſque* קום מזוך *Surge à profluvio tuo.*

*Quòd ſi hoc non valeat*

לותבה אפרש דרכים *Siſte eam in aliquo bivio, manúq; teneat poculum vini: A tergóque ejus, veniat aliquis, cámque terreat, dicens* קום מזוך *Surge à profluvio tuo.*

*Si autem hoc non obtineat.*

לייתי בונ"ת רכטונ"ת *Recipe manipulum cymini.*

ובונ"ת דמריקנ"ת *Et manipulum croci.*

ובונ"ת דשבלילת"ת *Et manipulum fœni græci.*

*Hæc*

*Hæc elixata vino, potanda ei dato, & dic, Surge à profluvio tuo.*

Si verò hoc non profit, adducuntur Doſes aliæ atque aliæ, numero decem aut plures, quas vide ſi lubet, loco citato. Inter eas hanc omittere non poſſum,

ליכרי ז בירי *Fodiant ſeptem foveas.*

וליקלי בהו שבישתא ילרה דערלה *In quibus comburant ſarmenta quædam vitium non circumciſarum.* i. e. non adhuc quadriennium.

ולנקטיה כסא דחמרא ביריה *Accipiátq; in manu ſua poculum vini.*

לוקמה מהא ולותבה אהא *Eam autem amoveant ab hac fovea, atque inſidere faciant ſuper illam.*

ולוקמח מהא ולותבה אהא *Atq; ab illa amoveant atq; inſidere faciant ſuper aliam.*

ואכל חדא וחדא לימא לה קום מזבין *Atque in unaquaque amotione dicendum eſt ei, Surge à profluvio tuo,* &c.

Vers. 29. Ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς.

De ſanguinis ſive profluvii fonte, Hebræis מקור vide *Niddah cap. 2. hal. 4. Maimon. in Iſſurei biah* cap. 5. & 6. Ubi etiam agitur de זבה גדולה *profluvioſa majore.* & זבה קטנה *profluvioſa minore.* Priorem titulum meritò huic fœminæ tribuas, quæ duodecim annis fluxione laboraverat.

Vers. 41. Ταλιθὰ κοῦμι.

*Bava bathr. fol. 91. 2. Dicit R. Jochanan, Recordamur cùm* מטיילן טלאי וטלייתא *luderent pueri & puellæ, ſedecim aut ſeptendecim annorum in plateis & non offenderent.*

Gloſs. טלאי וטלייתא *Tali & Talitha eſt puer et puella.*

Τὸ κοράσιον [ σὶ λέγω ] ἔγειραι.

*Talitha kumi* ſignificat tantùm, τὸ κοράσιον ἔγειραι. Unde ergò

inſeritur clauſula σὶ λέγω; 1. Recognoſcas hìc, & forſan non inutiliter, illud quod antè allegatum eſt, pro conſuetudine ſcilicet inter *Judæos* fuiſſe, ut cùm medicinam profluvioſæ applicarent, dicerent, *Surge à profluvio tuo.* quod & in aliis morbis adhibitum etiam fuiſſe eſt veriſimile. 2. *Chriſtus* nihil aliud dixit quàm quod idem ſonuit *Puella ſurge*, aſt in pronuntiatione ac prolatione iſtorum verborum, ea emicuit authoritas, atque imperans vigor, ut minus non ſonarent, quàm ſi dixiſſet: *Puella dico tibi, vel impero ut ſurgas.* Dixerunt illi, *Surge à morbo tuo*, id eſt, *Opto ut ſurgas*: at dicit Chriſtus, *Puella ſurge*, id eſt, *Jubeo ut ſurgas.*

VERS. 43. Εἰπὼν δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν.

Non ut viventi ſolùm. & adhuc valetudinariæ, ſed ut ſaniſſimæ valetudinis, & eſurienti.

*Hieroſ. Berac. fol. 9. 4. Ægrotavit filius Rabban Gamalielis. Miſit ergo is duos diſcipulos ſapientum ad R. Chaninam ben Duſa in urbem ſuam. Dicit ille iis. Exſpectate me uſque dum aſcendam in cœnaculum: Aſcendit in cœnaculum, Deſcenditque iterum, & dixit. Certus ego ſum quod filius Rabban Gamalielis ſolutus eſt à morbo ſuo. Eâdem horâ requiſivit ille cibum.*

---

## CAP. VI.

VERS. 3. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων.

INter alia á patre præſtanda filio, hoc unum erat, ut eum educaret in aliqua arte aut opificio.

*Toſapht. in Kidduſhin. cap. 1. Patri incumbit circumcidere filium, redimere eum, docere eum legem, & docere eum aliquod opificium.* R. Iudah dicit.

*Quicunque filium ſuum non docet aliquod opificium, eſt ac ſi doceret eum latrocinium.*

*Kid-*

*Kidduſhin. cap.4.hal.11. R.Meir dicit, Det operam homo ſemper ut doceat filium ſuum* אומנות נקיה *Artem honeſtam*, &c. *Joſephus*, Chriſtum opificio ſuo tectonico, inſtruit educátque.

VERS. 8. Μὴ πήραν.

De Perâ aliquid diximus ad *Matth.* x.10. Addamus hanc hiſtoriam:

*Bava Bathra. fol.133.2. Tradunt Rabbini. Hiſtoria eſt de homine quodam, cujus filii ſe benè non geſſerunt. Proſtitit ille, atque opes ſuas aſſignavit Jonathani ben Uzziel. Quid fecit Jonathan ben Uzziel? Tertiam partem vendidit, Tertiam dicavit Sacris, & Tertiam reddidit filiis defuncti. Venit ad eum Shammæus* במקלו ותרמילו *cum baculo ſuo & pera ſua.* Gloſſ. venit ut contenderet cum *Jonathane* quia teſtamentum defuncti violaverat.

En tibi ipſum Synedrii vice-præfectum geſtantem peram, in qua victualia pro viatico reponit.

VERS.13. Ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀῤῥώστους.

*Fuit igitur oleum*, inquit Clar.*Beza, ſymbolum mirificæ iſtius virtutis, non medicamentum quo morbos curarent.* At dicunt *Judæi*, idque verè, unctionem talem fuiſſe medicinalem, quamvis quidem non ſemper obtineret. At unctio hæc Apoſtolorum nunquam non obtinuit.

*Hieroſ. Berac. fol.3.1. Dicit R.Simeon ben Eliezer, Permiſit R. Meir vinum atque oleum miſcere, atque ægrotos ungere Sabbato. At cùm ipſe aliquando ægrotaret, noſque idem ei facere vellemus, non permiſit.* Recitatur hæc hiſtoria *Schabb. fol.* 14.3. ubi pro *R. Simeon ben Eliezer*, eſt *R.Samuel ben Eliezer:* forſan in manuſcripto exemplari, ſcriptum erat abbreviatè רש atque inde nominis ambiguitas.

Detur, unctionem talem fuiſſe medicinalem, quòd nequaquam poteſt negari, & tum nihil obſcuri eſt in verbis, *Jacobi*

cap.

cap v.14. Advocentur presbyteri Eccleſiæ, & vel ab iis, vel iis præſentibus, ungatur ægrotus, ut conjungantur cum ordinaria iſta medicina, eorum preces.

VERS.27. Σπεκουλάτορα.

Sic *Targ. Jonath.* in *Gen.* xxxix. 1. רב ספוקלטוריא vid. *Aruch* in ספקלטור.

VERS. 37. Διακοσίων δηναρίων.

I. דינר & זוז *Denarius* & *Zuz* Rabbinis valent idem.

*Aruch* in זוז. *Quarta pars Sicli argenti in Targum eſt* זוזא חד דכספא *Zuz Unus argenti. Siclus namque legis erat* סלע *Selaa. Et ſic in Targum* שקל *eſt* סלעא. *Et valet quatuor denarios.*

*Jam vero Denarius & Zuz idem ſunt.*

*Gloſſ. in Bathra. fol.* 166.1. *Denarios vocant linguâ Gemariſticâ Zuzim.*

II. Jam verò *Ducenti Zuzæi* vel *Denarii*, erant ſumma admodum celebris, & frequentiſſimæ mentionis.

*Chetubb. cap.*1. *hal.*2. *Si quis grandævior coeat cum minorenni, aut quis minorennis cum gradæviori, aut ſauciatâ, Dos earum eſt* מאתים *Ducentorum Zuzæorum.*

*Bava kama cap.*8. *hal.*6. *Si quis impingat alteri colaphum in maxillam* נותן לו מאתי זוז *Det ei Ducentos Zuzæos.*

*Chetubb. fol.* 17.1. *Fœmina jam vidua facta, aut divortio dimiſſa, quæ virgo nupta erat, habeat pro dote Ducentos Zuzæos.*

Hinc forſan idem numerus in ore Diſcipulorum, *Ducentorum Denariorum*, quippe quòd ſumma fuerit celebratiſſima, & frequentiſſimæ memoriæ in ore omnium.

VERS.40. Πρασιαὶ πρασιαί.

שורות שורות

Celebratur *Academia Jafnenſis* frequentiſſimè, ſub nomine ביבנה

כרם ביבנה *vineæ in Jafne.* Rationem reddit *R.Sol.in Jevamoth.* cap.8. שהיו יושבין שורות שורות, *Quoniam Seriatim Seriatim conſederunt illic ſcholares* ככרם הנטוע שורות שורות *Inſtar vineæ quæ plantatur* πρασιαὶ πρασιαὶ.

---

## CAP. VII.

### Vers. 3. Ἐὰν μὴ πυγμῇ νέψωνται.

CUm manus lavarent, laverunt pugnum עד הפרק *uſque ad juncturam lacerti.*

*Jadaim. cap.2. hal.3.* ידים מטמאות ומיטהרות עד הפרק. *Manus polluuntur & mundificantur uſque ad juncturam lacerti.*

*Cholin. fol.* 106. *Tradunt Rabbini, Lotio manuum* לחולין עד הפרק *quoad res communes* [ vel cibum communem ] *erat uſque ad juncturam lacerti. Et mundificatio manuum & pedum in templo erat uſque ad juncturam.* פרק inquit *Aruch, eſt ubi diſtinguitur brachium à manu.* Sic etiam ubi diſtinguitur pes à crure.

Gloſſ. *in Jadaim.* ubi ante. *Aquæ ſecundæ mundificant, quicquid manuum laverant Aquæ primæ: At verò ſi Aquæ primæ exceſſerant ultro juncturam lacerti, Aquæ ſecundæ non mundificant* לפי שאין מטהרין אלא עד הפרק *quoniam non mundificant ultrà juncturam. Si ergo redeant Aquæ quæ juncturam exceſſerant, in manus iterum, immundæ ſunt.*

### Vers. 4. Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίζωνται.

Adhibuerunt Judæi נטילת ידים *Lotionem manuum* & טבילת ידים *Merſionem manuum.* Et videtur vocabulum, νέψωνται apud Evangeliſtam noſtrum priori reſpondere, & Βαπτίζωνται poſteriori.

I. Immerſionem totius corporis non hìc intelligendam eſſe, argui ex hoc ſatis poteſt, quòd talis immerſio non adhibebatur niſi

niſi cùm contraheretur pollutio à cauſis immunditiei principalioribus.

*R. Sol.* in *Kelim. cap.* 1. *Homo & vaſa non contrahunt immunditiem* אלא מאב השומאה *niſi à patre immunditiei. Quales ſunt: Immunditia à reptili, à concubitu ſeminis, à polluto per mortuum, à leproſo, ab aqua purificationis, à coeunte cum menſtruoſa, à fluxu ſeminiflui, à ſputo ejus ab urina ejus, à ſanguine menſtruoſæ, à profluvioſo,* &c. Ab his ità pollutus eſt homo ut eſſet טיבול יום & opus haberet immerſione totius corporis. At ob immunditias inferiores, ſatis erat mundificare manus.

II. Multò minus intelligendum eſt de rebus emptis, ac ſi eæ è foro allatæ, eſſent abluendæ [ quo ſenſu reddunt interpretes nonnulli *Et quòd è foro emunt, niſi illud lavent non comedunt* ] cùm forent quædam quæ aquam non paterentur, quædam quæ empta, non illico comedebantur, & planè diſtinguant Canones traditionales, inter iſta quæ ab ipſo foro licita erant, & quæ non.

III. Intelligenda ergo videtur Phraſiologia de *immerſione manuum tantum*, & vox πυγμῇ hic etiam ſubaudienda, ex communi. Domi manentes non comedunt ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, *niſi pugnum laverint.* At redeuntes à foro non comedunt ἐὰν μὴ πυγμῇ βαπτίζωνται, *niſi pugnum in aquam immergant*: ignorantes & incerti, ad quamnam immunditiem appropinquaverant in foro.

*Maimon. in Mikvaoth. cap.* 11. *Lotio manuum, atque immerſio manuum erat à Scribis. Manus quæ opus habuerunt* טבילה *merſione, non tinxerunt niſi loco idoneo, ubi ſcilicet congregabantur* 40 *Seæ aquarum. Nam in loco ubi tinxit quis vaſcula, tingere licuit manus. At verò manus quæ opus habent* נטילה *lotione tantùm, ſi eas tingant in congregatione aquarum mundæ ſunt, ſive tinxerint in aquis hauſtis, ſive in vaſculis, ſive in pavimento. Non mundificant manus* [ quoad lotionem ] *donec effundantur*

*tur aquæ ſuper manus è vaſculo. Nam non lavant manus niſi è vaſculo.*

Ξεστῶν

Ambiguum eſt an vox hæc à ξέστης deducenda ſit, an à ξεστά: De *Sextariis* accipere, voci quidem eſt admodum concinens, & non admodum diſonans rei. Ita etiam ſi deduxeris à ξεστά, quâ raſilia, tornatalia, lignea ſcilicet denotantur. Et forſan utenſilia iſta quæ à *Rabbinis* vocantur פשוטים *Plana*, opponuntúrque τοῖς מקבלים aliquid intra ſe recipientibus, hac voce exprimuntur. Iſtius claſſis erant cultri, menſæ, ſedilia, *&c.* de quibus, pollutionis capacibus, *vid. Maim. in Kelim. cap.* 4. atque ipſum tractatum Talmudicum *Kelim. cap.* 21. Ubi enumerantur. 1. שלחן *Menſa* ipſa, ad quam comeditur. 2. חרלופקי *Tabellula* vel menſula lignea ubi reponebantur vinum & fructus, illico ad menſam adducenda. 3. ספסל *Sedile.* 4. שרפרף *Scabellum* pedum ſub Sedili.

Χαλκίων

כלי מתכת

Κλινῶν.

Lecti immunditiam contrax erunt, vel iſtám quam טומאת מרדס vocârunt, vel iſtam quam טומאת מגע מרדס Latinitate idonea vix hæc donaveris, abſque paraphraſi. מטה טמאה מרדס Erat lectus in quem, vel ſederat, vel ſteterat, vel ſe reclinaverat, vel innixus fuerat, vel pependerat profluvioſus, aut profluvioſa aut menſtruoſa, aut puerpera, aut leproſus. מטה טמאה מגע מרדס Erat lectus quem tetigerat aliquid quod hi tetigerant.

Vox ergo Βαπτισμὸς ad hæc omnia applicata, propriè & ſtrictè non accipienda eſt de tinctione aut immerſione, ſed quoad nonnulla de lotione tantùm, & quoad nonnulla de aſperſione tantùm.

VERS. 11. Κορβᾶν (ὅ ἐστι, Δῶρον.)

Vox Δῶρον nota & usitata Talmudicis.

*Zevachin.* fol. 7. 2. אמר רבא עולה דורון היא *Dicit Rabba, Holocaustum est* Δῶρον. Ubi Gloss: *Holocaustum non offertur ad expiandum pro facto aliquo: Sed postquam pœnitentia expiavit factum, venit Holocaustum* להקביל פנים *ut cum favore homo recipiatur: Sicut cùm quis peccavit contra regem* וריצהו עי ברקלטין *& placavit eum per* Παράκλητον, *& venit ut imploret ejus favorem, affert* דורון Δῶρον

*Pesachin.* fol. 118. 2. מצרים תביא דורון למשיח *Ægyptus afferet* Δῶρον τῷ *Messiæ.*

VERS. 19. Ἀρεδρῶνα.

בית הבסא.

---

## CAP. VIII.

VERS. 12. Τί ἡ γενεὰ αὕτη σημεῖον ἐπιζητεῖ;

PRo commentario audi historiam.

*Bav. Mezia.* fol. 59. 2, *Eo die respondit R. Eliezer omnibus quæstionibus in toto mundo, at non auscultârunt ei. Dixit ergo iis, Si sit traditio secundùm quod ego dico, testetur hæc siliqua. Eradicata est siliqua, & loco suo amota centum cubitis: sunt qui dicunt quadringentis. Dicunt ei probatio non petenda est à siliqua. Dicit rursus iis, Si sit traditio secundùm me, testentur rivi aquarum; versi sunt rivi aquarum retrorsum. Dicunt ei, Non petenda est probatio à rivis aquarum. Dixit iterum iis, Si sit traditio secundùm me, Testenter parietes Scholæ. Inclinaverunt se parietes, ut ruituri. Objurgavit eos R.* Josua *dicens. Si controversia sit inter Discipulos sapientum circa traditionem, quid id ad vos? Non corruerunt ergo, ob honorem R.* Josuæ. *Erecti tamen iterum non sunt ob honorem*

*norem R.* Eleazaris. *Dixit iis porro, ſi traditio ſit ſecundùm me, teſtentur cœli. prodiit Bath Kol & dixit. Quid vobis lis cum R.* Eleazare *ſecundùm quem traditio eſt ſemper? Exurrexit R.* Jonah *in pedes ſuos & dixit, In cœlo non illa* [ Deut. *xxx.* 12. ] *Quid ſibi volunt verba iſta, In cœlo non illa? R.* Jeremiah *dixit, cùm data ſit lex à monte* Sinai, *nos non curamus Bath Kol.*

Ridebimus fabulam? An aliquid veri ſuſpicabimur in hiſtoria? Mihi quidem, cùm mecum cogito quàm dedita & perita fuerit gens iſta artis magicæ, quod non ſolum à Talmudicis ſed & à ſacris paginis affluenter aſſeritur, in promptu eſt fidem aliquam attribuere hiſtoriæ huic, aliiſque ejuſdem farinæ pluribus: Rem ſcilicet reverâ actitatam fuiſſe arte atque ope diabolica, ab anteſignanis iſtis & ducibus errorum, ut honorem ſuum, traditionémque, eò magis ſtabilirent.

Ex hiſtoria ergò, veráne ea fuerit, an ficta, hæc duo obſervamus.

I Quàm tenaces fuerint *Judæi* traditionum ſuarum, atque in iis immobiles etiam contra evidentiam miraculorum. Grandis inter eos nominis fuit iſte *Eliezer*, at *Shammæanus*. Hinc שמוּת vocatur ſemel iterúmque, ut *Hieroſ. Trumah.* fol. 43. 3. *Jom. Tobh.* fol. 60. 3. *&c.* Quum ergo doceret aliquis contra traditionem *ſcholæ Hilleliana*, ederet licèt miracula [ ut referunt ipſi ] non creditur ab iis, imò deridetur. Idem erat mos eorum, eademque mens, contra miracula *Chriſti*. Atque eo tendi poſſunt hæc verba Salvatoris abſque ulla torſione, *Quare hæc generatio quærit ſignum?* Generatio quæ non ſolùm indigniſſima eſt editione miraculorum, ſed & quæ juratur ad retentionem traditionum, & doctrinarum ſuarum, edantur licèt ex adverſo miracula infinita.

II. Vides ut ultimum miraculorum præſtigiatoris hujus teſtimonium petatur è cœlo. Nam prodit *Bath Kol.* &c. quod teſtimonium tamen non recipiunt *Helleliani*, non juſtè quidem; cùm ipſi talem vocem ſibi ipſis de cœlo fingant, ut oraculum

pro *ſcholæ Hilleli*anæ authoritate definitivum & non contradicendum : de quo Talmudici frequentiſſimè, & jactantiſſimè.

Eodem modo requirunt illi ſignum de cœlo à Salvatore; Non contenti infinitis iſtis quæ ediderat miris : Sanatione morborum, expulſione dæmonum, multiplicatione panum, *&c.* Volunt etiam aliquid cœleſte : vel ad exemplum *Moſis*, manna inde petentis; aut *Eliæ*, ignem; aut *Joſuæ*, ſolem ſiſtentis; aut *Eſaiæ*, retrotrahentis.

## CAP. IX.

VERS. 1. Τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθῦῖαν ἐν δυνάμει.

MAtthæo eſt τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ: Sub his formulis loquendi, exprimitur adventus Chriſti in vindicta & poteſtate ſua, ut perdat gentem incredulam nequiſſimámque *Judæorum*:

Inde hic ſenſus præſentis loci. Dixerat Salvator commate ultimo, capitis præcedentis *Quemcunq; puduerit mei, ac verborum meorum in generatione iſta adultera, & peccatrice; Filium etiam hominis pudebit ejus, cùm venerit in gloria Patris ſui cum ſanctis ſuis Angelis*, ad pœnas ſumendas de gente iſta adultera & peccatrice. Et meritò ſubinfert Adventum ejus iſtum in gloria, futurum intra vitam quorundam illic aſtantium.

VERS. 2. Εἰς ὄρος ὑψηλὸν.

Veniam jam tuam O lector. Ridebitur ſcio, ſi dubitem an *Chriſtus* transfiguratus fuerit in montem *Tabor*, quis enim unquam de hac re dubitavit? At liceat mihi, ante rei fidem à me habitam, ſcrupulos de ea meos palam facere : & poſitâ ante oculos ſuos tabulâ aliquâ *Galilææ* geographicâ, lector forſitan cùm me audierit, leniùs de hæſitatione mea judicabit.

I. Advertat, *Chriſtum* in hiſtoria proximè antecedente fuiſſe *in finibus Cæſareæ Philippi*. *Mat.* xvi. 13. *Marc.* viii. 27. *Luc.* ix.

ix. 18. nec quod ex Evangeliſtis elici poteſt, locum mutâſſe ante hanc hiſtoriam: Quis negaverit verba iſta; *Sunt qui hìc aſtant, qui non guſtabunt mortem, &c.* prolata fuiſſe in oris iſtis *Cæſareæ Philippi?* Atque illico ſecuta eſt hiſtoria transfigurationis.

II Interceſſerunt quidem ſex dies, In quibus inquies, proficiſci potuit *Chriſtus* à *Cæſarea Philippi* ad *Taborem.* Potuit quidem: Sed 1. Nullum loco-mutationem innuunt Evangeliſtæ, hoc tantum dicentes, quod tres ex diſcipulis ſuis duxit in montem. 2. Mirum videtur, Salvatorem tam longo itinere ſe fatigare velle, ut *Taborem* ſibi eligeret ubi tranſfiguretur, cùm minimè, quod legimus, unquam antea in iſto monte fuerat verſatus, forétque montes alibi, ubi verſaretur frequenter. 3. Preme veſtigia hiſtoriæ, & peregrinantis Chriſti, à transfiguratione porro: Cùm deſcenderet è monte ſanavit puerum Dæmoniacum. Et cùm in domum ſe reciperet, dixerunt, *Quarè nos non potuimus dæmonium ejicere?* &c. *Atque diſceſſerunt inde & tranſierunt per* Galilæam, *Et venit ad Capernaum. Marc.* ix. 30, 33.

III. Et jam tabulam Chorographicam intuere lector, & quàm incongrua videbitur hæc peregrinatio? 1. A *Cæſarea Philippi* ad montem *Tabor* per totam fere longitudinem *Galilææ.* 2. Deinde a monte *Tabor* retrogrado curſu ad *Capernaumum*, magna parte *Galilææ* [ præſertim ut tabulæ *Capernaumum* locant ] iterum retro-menſurata. Cùm *Capernaum* in viâ foret à *Cæſarea Philippi* ad *Taborem*, forétque mons illic, *Chriſto* notiſſimus ac frequentiſſimus.

IV. Adeò ut conſonantiùs longè videatur hiſtoriæ Evangelicæ, Chriſtum transfiguratum fuiſſe, in monte aliquo prope *Cæſaream Philippi*, iſto forſan qui teſte *Joſepho* altiſſimus ipſiſſimis fontibus *Jordanis* imminebat, atque ad pedem cujus ſita erat *Cæſarea.*

In iſto loco olim *Dan* dicto, erecta fuit prima Idololatria, & jam ibidem loci exhibetur æternus Filius Dei, & in confeſſione *Petri*, & in demonſtratione *Meſsiæ* ineffabiliter clara & illuſtri.

VERS. 38. Εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια.

I. Absque dubio verè præstitit, quicunque is fuit, hoc opus: Ejecit dæmonia verè & realiter, idque virtute divina, aliter ea non dixisset Christus quæ dixit, *Nè prohibete eum: Nemo est qui edit miraculum nomine meo, qui potest de me malè loqui*, &c.

II. Unde autem potuit quisquam non sequens *Christum*, ejicere dæmonia? Aut unde quisquam ejiciens dæmonia, non sequi *Christum*?

*Resp.* Opinamur I. Non ejecisse hunc dæmonia nomine *Jesu*, sed nomine *Christi* aut *Messiæ*: atque non ex contemptu fuisse quòd non sequeretur *Jesum*, sed ex ignorantia: quippe quòd non adhuc nosset *Jesum* esse *Messiam*. II. Conjectamur ergò, illum, Discipulum aliquem fuisse *Johannis* olim, qui baptismum ejus receperat in nomine *Messiæ* illico venturi [quod fecerunt omnes discipuli *Johannis*] at non scivit adhuc *Jesum Nazarenum* esse *Messiam*: quod & ignoverat ipse *Johannes* usque dum cœlitùs ei foret revelatum. III. Probabile est ergò concessisse Deum dona miraculorum aliquibus non ita pridem à *Johanne* baptizatis, ut ea edere possent in nomine *Messiæ*, idque ut sterneretur via planior recipiendo *Messiæ*, cùm ille seipsum tandem sub nomine *Jesu Nazareni* manifestaret.

Vid. *vers.* 41. In nomine meo ὅτι Χριστοῦ ἐστε, & *cap.* xiii. 6. *Multi venient in nomine meo*, non in nomine *Jesu*, sed in nomine *Messiæ*: nam nomen *Messiæ* sibi assumserunt Pseudo-prophetæ isti, ut nomen *Jesu* annihilarent. Non multùm ab hoc sensu est illud *Johan.* xvi. 24. *Hucusque nihil petiistis nomine meo.* Orationes suas fuderant Apostoli, & fuderunt Sancti omnes in nomine *Messiæ*, at nihil adhuc petiistis in nomine meo *Jesu*, &c.

VERS. 43. Ἔκκοψον αὐτήν, &c.

*Bab. Schabb. fol.* 108. 2. *Dicit R. Mona nomine R. Judæ.* Gut-

*Guttula aquæ frigidæ manè* [applicata oculo] *ac lotio manuum ac pedum veſperi* טוב קילורין שבעולם *bona eſt oculis præ omni collyrio quod in toto mundo. Ipſe etiam dixit* יד לעין תקנין *Manus oculo applicat*, [manè ante lotionem] *exſcindatur. Manus nari exſcindatur: Manus auri exſcindatur*, &c.

VERS. 49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται.

Caſtigatum probè, meritóque habes magnum *Scaligerum* à *Johan. Clopenbergio*, *In Spicileg ſcholæ ſacrific. problem. 3.* quòd lectionem hìc immutârit in Πᾶσα πυρὶ ἁλισθήσεται. Eum vide.

Πᾶς, non de omni homine eſt intelligendum, ſed de unoquoque eorum, *quorum vermis non moritur*, &c.

Petendus loci ſenſus è verbis iſtis, & verborum iſtorum ſenſus, ex *Eſai* lxvi. *ult.* In quem locum ſic *Judæi.*

*Sanhedr. fol.* 100. 2. Prodibunt & videbunt cadavera hominum in me rebellantium, quòd vermis eorum non morietur, &c. *Nonne hominis digitus, ſi in ignem immittatur in hoc mundo extemplo comburitur? At dat Deus poteſtatem* [vel exiſtentiam] *improbis ut recipiant tormenta.*

*Kimch. in loc. Videbunt cadavera eorum plena vermibus, ignémque in iis ardentem*: & vermes tamen non moriuntur.

Verba ergò Salvatoris huc tendunt. *Vermis eorum non moritur, nec ignis extinguitur*, nam unuſquiſque eorum ipſo igne ſalietur, ita ut inconſumptibilis fiat, et in æternum duret torquendus, prout ſal tuetur à corruptione.

Lectionem vulgarem ineptiſſimam vocat vir doctiſſimus, cujus antea mentio. Nam quid inquit, Ἁλίζειν πυρί; Retorqueam ego, Et quid πυρίζειν ἁλί; Et tamen ſenſus iſte occurrit apud Talmudicos frequentiſſimé. Nam apud eos הקרית eſt *comburere* [quod propriè quidem ſignificat] et eſt frequentiſſimè *nimia ſalſedine aliquid corrumpere*, ita ut non poſſit comedi: *Igniri ſale.* Sic hoc in loco, *Salliri igne*, ut non poſſit corrumpi aut conſumi.

Καὶ

Καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται.

Agitur hìc de ſallitione quæ fiebat ad altare. vid. *Lev.* ii. 13. *Menachoth fol.* 21. 2. *In aſcenſu altaris ſalliebant partes victimæ. Et in vertice altaris ſalliunt pugillum farinæ, thuris, thymiamatis, & mincham ſacerdotum, & mincham ſacerdotis uncti, & mincham libaminum, & ſacrificium volucrum.* Imò, *fol.* 20. 2. עצים קרבן מנחה הן וטעונין מלח *Ligna ipſa ſunt Corban Mincha, & ſunt ſallienda.*

At in clauſula priori non alludebatur ad ignem altaris, ſed ad ignem in valle *Hinnomis*, ubi abſumebantur cadavera, oſſa, reliquáque ſordida. Cadavera ſcatent vermibus, et vice ſalis qui munit contra vermes, projicientur illi in ignem et ſallientur flammis, et tamen vermes non morientur. At is qui vera Deo victima, condietur ſale gratiæ ad incorruptionem gloriæ.

Loquitur Salvator hoc in loco, cum *Eſaia*, cap. lxvi. 20. Ἄξουσι τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν δῶρον Κυρίῳ --- ὡς ἀνενέγκωσιν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς θυσίας αὐτῶν ἐμοὶ μετὰ Ψαλμῶν εἰς τὸν οἶκον Κυρίου. Et *ver.* 24. Καὶ ἐξελεύσονται καὶ ὄψονται τὰ κῶλα τῶν ἀνθρώπων τῶν παραβεβηκότων ἐν ἐμοί. Ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται, &c.

Πᾶσα θυσία inquit Salvator, de Sanctis condîtis gratiâ, ſic Propheta, Ἄξουσιν ἀδελφοὺς ὑμῶν δῶρον Κυρίῳ, ὡς οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς θυσίας. Ἁλισθήσονται πυρὶ inquit Salvator, de improbis: Eodem ſenſu *Eſaias*, Erunt in igne inextinguibili, et tamen vermis eorum non morietur.

Ignis *eorum*, et vermis *eorum*: Quorum? De antecedente, apud verba Servatoris eſt obſcuriùs, adeóque quidem, ut eum non niſi ad verba *Eſaiæ*, verba ſua retuliſſe, ſit ſine omni obſcuritate: Quinam autem illi apud *Eſaiam*, patet ſatís.

CAP.

## CAP. X.

VERS. 1. Ἐρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου.

OCulo perspicaci hìc est opus, ad dijudicandum de vero tempore, methodóque hujus historiæ, peregrinationísq; Christi: quo si utaris, comperies dimidium anni, aut circiter interceſsisse, inter prolationem verborum immediatè præcedentium, et hoc iter Salvatoris; utcunque, ab Evangelista nostro, paritérque à *Matthæo* videatur innui, quòd cùm verba ista finiſſet, illico ad iter istud se accingeret: Cùm reverâ profectus sit antè, *Hieroſolymam*, per medium *Samariæ* ad festum *Scenopegiæ*; *Luc.* ix. 51, &c. *Johan.* vii. Iterúmque à *Galilæa*, eò reversus, per urbes et vicos, *Hieroſolymam*, *Luc.* xiii. 22. ad festum *Encæniorum*, *Joh.* x. 22. Et deinde *trans Jordanem* quidem *Joh.* x. 40. sed viâ arreptâ primùm in *Galilæam*, atq; indè trans *Jordanẽ* secundùm historiam istam quæ sub manibus. Lectori studioso, atq; in hanc rem operam suam seriò impendenti, non opus est ulteriori probatione, testabuntur hoc satìs proprii oculi. Sic calamos sacrorum horum Amanuensium direxit Sapientia, Spiritúsque Dei, ut hi quædam omitterent ab illis supplenda, illi ista supplerent quæ isti omiserant, et sic non nisi ex omnibus conjunctis collatísque, plena contexeretur historia et completa.

Utinam hoc satìs animadvertisset venerandus *Beza*, qui τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου reddit, non *trans*, sed *ſecus Jordanem*, vulgatúmque interpretem atque *Erasmum* castigat, qui *Trans Jordanem* reddunt, propriè verisimèque. *Quasi per Peræam*, inquit ille, *vel trans Jordaninam Christus, trajecto Jordane vel lacu Tiberiadis, in Judæam venerit ex Galilæa, quod verum non est.* At cave nè hallucineris venerande Senex. Nam trajecit *Jordanem* à *Capernaumo*, ut probabile maximè, per pontem super *Jordanem* structum inter *Chammatham* quæ vicina *Tiberiadi*, & *Gadarenam* regionem: contulit se ad *Bethabaram*, atque aliquantum tempo-

ris est illic commoratus, *Johan.* x. 40. indè per *Peræam* perrexit ad ripam *Jerichunti* oppositam. Illic commorantem adit nuntius à *Maria* missus, de morte *Lazari*, *Johan.* xi. Atque indè post biduum transit *Jordanem* in *Judæam*.

VERS. 17. Γονυπετήσας αὐτόν.

Sic *Cap.* 1. 40. Παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτόν· variè hoc redditur. *Procidit ad pedes. Genu flexo. Genu petens. Ad genua procidens*, &c. Quæ quidem non incongrua. Ast suspicor ego aliquid amplius includi. Nam 1. in more fuit sic adorantibus, genua aut crura prehendere. 2 *Reg.* iv. 27. *Matth.* xxviii. 9. 2. Genua aut pedes exosculari. Vid. quæ diximus ad *Matth.* xxviii. 9.

*Bab. Chetub. fol.* 63. 1. Cùm *Rabbi Akiba* duodecim annis abfuisset ab uxore, redeunti tandem prodiit ea in occursum: *cúmq; ad eum accederet, procidens in faciem* קא מנשקה ליה לכרעיה *exosculata est ejus genua.* Et paulò pòst, Cúmq; is in oppidum intrâsset, socer ejus ignorans quisnam esset, at grandem aliquem Rabbinum esse suspicans, illum adit, ac procidens in faciem נשקיה ליה לכרעיה *exosculatus est ejus genua.*

*Id. Bav. Bathr.* De *Jobo* loquens. בא שטן ונשקיה לכרעיה *Venit Satan, atque is exosculatus est ejus genua: At in omni hoc non peccavit Jobus labiis suis*, &c.

*Sanhedr. fol.* 27. 2. Cùm differuisset quidam Rabbinus de rebus variis קם בר חמא ונשקיה אכרעיה *Exurrexit Barchama, atque exosculatus est ejus genua*, vel crura.

VERS. 21. Ἠγάπησεν αὐτόν.

Id est, externo aliquo gestu palàm fecit, sibi complacuisse hunc hominem, & in quæstione sua, & in responsione: Cùm & seriò quæreret de adipiscenda salute æterna, & seriò profiteretur se omni curâ & circumspectione mandatis Dei sese addixisse.

Confe-

Conferamus morem magiſtrorum apud Judæos.

*Hieroſ. Chagigah fol.* 77. 1. *Eliezer ben Erech* veniam impetravit à *Rabban Jochanane ben Zaccai*, ut de nonnullis coram eo diſſertaret: Diſſertavit de curru *Ezechielis* [מעשה מרכבה *cap.* 1. vel de Theologia myſtica.] *Cùm finiſſet, exurrexit Rabban Jochanan:* ונשקיה בראשיה *Et caput ejus oſculatus eſt.*

*Id. Horaioth. fol.* 48. 3. *R. Abba Bar Cahna audivit R. Levi profundè diſſertantem. Cùm finiſſet, exurrexit R. Abba, atque caput ejus eſt oſculatus.*

*Id. Nedarim. fol.* 36. 4. Hiſtoria eſt de *Nazireo* quodam juvene, *Simeoni Juſto*, reſponſione quadam ſua, admodum complacenti. Unde inquit *Simeon. Inclinavi in eum capite meo, dixíque, O fili, multiplicentur tales, qualis tu, in Iſraele.* Reperitur hæc hiſtoria in *Nazir. fol.* 51. 3. Ubi pro הרכנתיו בראש' *Inclinavi in eum capite meo*, חבקתיו ונשקתיו על ראשו *Amplexus ſum eum, atque caput ejus exoſculatus.*

*Bab. Megill. fol.* 14. 1. *Miriam ante nativitatem Moſis prophetaverat, Mater mea pariet filium, qui liberabit Iſraelem. Cùm foret natus, repleta eſt tota domus luce. Proſtitit pater ejus* ונשקה על ראשה *atque eam exoſculatus eſt ſuper caput, & dixit, Adimpleta eſt Prophetia tua. At cùm eum abjicerent in fluvium* טפחה על ראשה *Eam contudit ſuper caput.*

Quid ſi ipſiſſimo hoc geſtu uſus fuerit Salvator erga hunc juvenem? Aptiúſque, cùm coram eo flexis genibus provolveretur. Aliquo ſaltem geſtu uſus eſt, quo & ipſi juveni, & aſtantibus planum fuit, juvenem & interrogatione ſua, & reſponſione, non parùm placuiſſe.

Sic אהבתי *Pſal.* cxvi. 1. apud LXX Ἠγάπησα, bene reddas, *Complacet mihi.* Sic *Joſephus* de militibus *Davidis*, 1 Sam. xxx. Quadringenti iſti qui ad prælium îerant, ſpolia ducentis qui defatigati elanguerant, impertire noluerunt Ἀγαπήσειν δὲ τετρακοσίας γυναῖκας ἀπολαμβάνοντας ἔλεγεν;

Pari aliquo ſenſu dicitur *Johannes*, Diſcipulus ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς, non quòd magis eum diligeret *Ieſus* quàm reliquos, amore ſuo æterno, infinito, ſalvifico; ſed quòd eum magis externo aliquo favore, ac amica familiaritate interiori foveret. Et quare? Quia *Johannes* ſe curam matris *Chriſti* poſt mortem ejus habiturum ſpoſpondiſſet. Nam verba iſta Salvatoris in cruce ad *Johannem*, *Ecce mater tua*; & ad matrem, *Ecce filius tuus*; & quòd exinde reciperet eam *Johannes* ad ſua, claram probabilitatem ſecum ferunt, non tum primùm *Johannem* de re tali audiiſſe, ſed jam pridem ita fuiſſe pollicitum.

Ἠγάπησά σε id *Eſai.*lx.10. redditur רחמתיך *Miſertus ſum tui*: quod etiam optimè hìc poteſt convenire. *Ieſus miſertus eſt ejus.*

VERS.46. Υἱὸς Τιμαίου Βαρτιμαῖος.

Tautologiâ Solœcizantem ſuſpicantur quidam Evangeliſtam: nam nec neceſſe erat, ut arbitrantur, ut vocem Syriacam ſic Græcè redderet: nec alibi in nominibus propriis, ejuſdem generis, eſt factum. Nam non dicitur ab ullo Evangeliſta *Bartholomæus, filius Tholomæi. Bar Abbas, filius Abbæ. Bar Jeſus, filius Jeſu*: *nec in ſimilibus.*

Verè quidem: At

I. Cùm denominatio fit à nomine communi & non proprio, tum non adeò inconſonum eſt, vocem interpretari; quod & fit ſemel iterúmque, *Marc.* iii.17. Βοανηργές, ὅ ἐστιν, υἱοὶ βροντῆς Act.iv.36. Βαρναβᾶς, ὃ ἐστιν, υἱὸς παρακλήσεως. Iam verò.

II. *Bar Timai* aliter reddi potuiſſet, quàm *Filus Timæi*: Nempè vel בר תימרה *Filius admirationis*, vel quòd propiùs בר ולמלבא ליה ליה טימי *Filius utilitatis.* Targ. in *Eſth.*iii.8. טימי מנהון Meritò ergo Evangeliſta, ut oſtenderet hunc *Bartimæum*, non ab hac, aut illa, aut alia tali Etymologia fuiſſe nuncupatum, ſed à nomine paterno, nomen ejus ita interpretatur, Βαρτιμαῖος, υἱὸς Τιμαίου.

III. Erat

III. Erat forſan *Timæus* nominis notioris apud iſtud ſæculum, vel famâ bonâ, vel malâ: ita ut *Judæis* tunc ibi verſantibus nihil abſurdi foret dicere, Hic *Bartimæus* cœcus, filius eſt *Timæi* adeò famoſi. Sic, nobis ignotum eſt quinam fuerint *Alexander & Rufus*, cap. 15.21. at erant illi abſque dubio notiſſimæ famæ vel inter Diſcipulos vel inter Iudæos.

IV. Quid ſi תימיא idem ſit cum סימיא Cœcus, ex uſu ת pro ס apud Chaldæos, ut *Bartimæus filius Timæi*, ſonare potuerit, *Filius cœcus cœci patris?*

---

## CAP. XI.

VERS. 2. Καὶ περιβλεψάμενος πάντα.

CONfer *Marcum* cum reliquis de tempore ejectionis mercatorum è Templo, & apparebit vocem περιβλεψάμενος non nudum intuitum aut inſpectionem denotare, ſed inſpectionem cum reprehenſione & correctione. אצהרה Iudæis.

VERS. 13. ἐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων.

Vide quæ diximus ad *Matth.* xxi. 19. Summa hæc eſt.

I. Adeò abfuit tempus ficuum, ut vix jam adeſſet tempus foliorum.

II. Ficûs reliquæ in monte, erant de genere ficuum communi: & in iis non adhuc viſenda erant folia. Aſt ea quam foliis veſtitam vidit Chriſtus, atque ideò eam adiit, erat ficûs generis extraordinarii.

III. Nam erat ficus quædam בנורא שוח dicta, quæ nunquam foliis caruit, & nunquam ficubus. Nam unoquoque anno fructum tulit, at fructus iſte ad maturitatem non erat decoctus ante annum tertium: Talem opinamur fuiſſe hanc ficum.

VERS.

VERS. 16. Καὶ οὐκ ἤφιεν ἵνα τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ.

*Bab. Jevamoth fol. 6. 2. Quænam est reverentia Templi? Nè quis eat in montem domûs* [vel atrium gentium] *cum baculo suo, & calceis suis, crumena sua, & pulvere in pedibus suis* ולא עשנו קפברריא ורקיק *Non per illud faciat viam suam transitivam, nec faciat locum sputationis.*

Idem etiam statuitur de Synagoga: imò de Synagoga jam devastata, multò magis de florente.

*Megill. fol. 28. 1.* לא עשין קפנדריא *Synagogam jam devastatam nè faciant viam transitionis.* Et fol. 27. 2. *Interrogârunt R. Eliazarum ben Shammua discipuli ejus, unde adeò dies tuos produxisti? Respondit ille. Nunquam feci Synagogam viam transitionis.*

Prohibetur ergo à magistris, nè in viæ compendium, atrium templi fiat transitus. Et nonne hoc satìs erat frœni, quo reprimerentur omnes à portando vasa per templum? At erat contiguum atrio, *Castellum Antoniæ*, erántque in atrio Gentium, *Tabernæ*, ubi venundabantur plurima, & huc portari vasa profana, vix est negandum. Et vasa hæc portari διὰ τοῦ ἱεροῦ dici potuerunt, quamvis portantes, totum Templum non permearent.

## CAP. XII.

VERS. 1. Ἀμπελῶνα ἐφύτευσεν ἄνθρωπος, &c.

COgnoverunt *Sacerdotes & Pharisæi*, inquit *Matthæus*, *de se hæc dici*, Matth. xxi. 45. Nec mirum: Nam gloriabantur *Judæi*, se esse vineam Domini: & injuriam isti vineæ à quovis illatam promptè observant, at quàm longè abest, ut observent, quàm infrugiferi illi, & ingrati Domino vineæ.

*Tanchum* fol. 54. 3. *Res comparari potest, Regi cui erat vinea, atque*

*atque iſti erant tres qui inimicabantur. Quidnam illi fecerunt? Unus excidit racemos, Secundus botros defalcavit, & Tertius extirpavit vites. Rex iſte, eſt Rex regum, Dominus benedictus: Vinea Domini, eſt domus Iſraelis. Tres inimici ſunt Pharaoh, Nebuchadnezzer & Haman,* &c.

Ἀμπελῶνα.

*Kilaim. cap.* 4. *hal.* 5. *Si plantat ſeriem unam quinque vitium, Schola Schammæana dicit, quòd eſt vinea; Hilleliana autem dicit, Non eſt vinea, uſque dum ſint ibi duo ordines vitium.*

Περιέθηκε φραγμόν.

*Ibid. hal.* 3. *Qualisnam eſt ſepes? ſit alta decem palmos:* His minùs, non eſt ſepes.

Ὤρυξεν ὑπολήνιον.

*Ibid.* חריץ שהוא עמוק י׳ ורחב ד׳ *Lacus ſit profundus decem palmos, & latus quatuor.*

Ὠκοδόμησε πύργον.

*Ibid. cap.* 5. *hal.* 3. שומרה שבכרם גבוהה י׳ ורחבה ד׳ *Cuſtodia quæ in vinea, ſit decem alta, & quatuor lata.* Cubiti ſunt intelligendi. Nam *Rambam.* שומרה inquit, *eſt locus altus ubi ſtat vinitor, ut circumſpiciat vineam.*

Ἐξέδετο αὐτὸν γεωργοῖς.

*Maimon.* in שכירות *cap.* 2. המוסר כרמו לשומר ὁ ἀποδὸς ἀμπελῶνα αὐτῷ, &c. *Qui vineam ſuam elocat cuſtodi* בין באריסות בין בשמירו חנם *Sivè ut* γεωργῷ, *ſive ut cuſtodituro gratis, ineátque cum eo pactum, ut eam fodiat, amputet, paſtinet ſumptu ſuo, is autem negligat, atque ita non faciat, reus eſt, ac ſi propria manu vineam vaſtaret.*

VERS.2. Ἀπέστειλε πρὸς τοὺς γεωργοὺς τῷ καιρῷ.

Id est anno quarto à prima ejus plantatione. Cùm jam foret כרם רבעי *vinea quadriennis* : Saltem ante istum annum nullus fructuum usus.

*Maasar Sheni. cap.5.hal.1.* כרם רבעי מציינין אותו בקוזות ארמה *Vineam quadriennem pingunt*, vel notant, *glebâ*, aut bolo, *aliquâ terræ*, coloratæ. של ערלה בחרטית *& præputiatam argillâ. Et sepulchra calco.*

Gloss. *Vineæ quadrienni appingunt notas aliquas è gleba terræ, ut noscant homines, quòd est vinea quadriennis, & de ea non comedant, quoniam ea sacrata est, ut dicit Dominus* [ Levit. xix. 24. ] *& oportet possessores ejus fructum ejus comedere Hierosolymis, ut decimam secundam. Et vineam præputiatam* [ i. e. quæ adhuc non foret quadriennis: vid. *Lev.*xix.23. ] *notant argillâ* הוא טיט השרוף id est *in igne decoctâ ; nam prohibitio de præputiata, major est quàm prohibitio de quadrienni : nam quadriennis est esui idonea, at præputiata non est adhibenda in ullum usum : Eam ergo glebâ non notârunt, nè fortè dilueretur & periret nota, & homines eam non videntes de ea comederent*, &c.

VERS.4. Λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν.

I. Non video, cùm opus sit vocem ἐκεφαλαίωσαν. à germano & genuino suo sensu torquere. Κεφαλαιοῦν *In summam quandam subducere & colligere* significat, ut docent Lexica ; & eccur non eodem sensu hoc in loco ? Jecerunt in servum lapides, & deridentes computârunt cum eo summam. Sic forsan, vel tale quid inquientes, Requiris tu fructum & redditum ? en tibi hunc fructum, [ jacto lapide; ] en tibi alium fructum, [ jacto alio lapide; ] & sic multoties : & sic eum dimiserunt ἠτιμωμένον, derisum & opprobrio onustum.

II. At [illegible], vocem transferendam prout vulgò redditur, *In capite eum vulneraverunt* : tum ita distinguitur hic modus λιθοβολίας, ab ista, qua confecti sunt illi qui lapidati sunt à Synedrio.

Vocatur

vocatur iſta Λιθοβολία, nam erat jactus lapidis quidem, at unius tantùm, ejuſque grandiſſimi, idque in cor damnati, cùm jam jaceret ſupinus. At hæc, lapidum plurimorum è manibus per aera jactatorum, hìc, illic, ubique ferientium. Lapidato à *Synedrio* illæſum erat caput, & abſque vulnere; at hìc λιθοβολήσαντες ἐκτφαλαίωσαν.

VERS. 10. Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν.

*Targ. in Pſal.* cxviii. ſic. טלייא שביקו אדדיכלייא *Puerum reſpuerunt, ædificatores.* [ vel pro אבן legit הבן, vel reddit ſecundùm idioma Arabum, *Filium*: ſic & *R. Sol.* ] Et *ver.* 27. כפיתו טלייא לנכסת חגא *ligate puerum ad ſacrificium Solennitatis catenis, donec ſacrificaveritis eum, & effuderitis ſanguinem ejus in cornua altaris. Dixit* Samuel *Propheta.*

VERS. 16. Τίνος ἡ εἰκὼν; Καίσαρος.

I. Erat hic *Denarius Cæſareanus.* דינרא קיסראנה Nam *Zuz*, apud Judæos erat etiam denarius, ut oſtendimus alibi, at vix credimus fuiſſe ejuſdem formæ & inſcriptionis.

*Bab. Avodah Zarah.* fol. 6. 2. ההוא מינאה רשדר ליה דינרא קיסראנה *Ethnicus quidam miſit R. Judæ principi Denarium Cæſareanum, idque die quodam feſto Ethnicorum. Sedit Reſh Lachiſh coram eo. Dixit R. Juda, Quid faciam? Si recepero, conſentiam* [ feſtivitati eorum ] *Si non recepero, Orietur mihi inimicitia. Reſpondit Reſh Lachiſh. Accipe denarium, atque ipſo aſpiciente, abjice in puteum, &c.*

II. Erat Denarius argenteus, non aureus.

*Bava Bathra.* fol. 166. 1. דינרין כחם משם שלכסף *Denarii abſolutè poſiti, intelligendi ſunt denarii argentei.* Ubi Gloſs: *Denarii abſolutè poſiti ſunt argentei, donec explicetur quòd ſunt aurei.*

Jam verò, denarius aureus valuit viginti quinque denarios argenteos.

*Cherithuth.* cap. 1. hal. 7. *Cùm venirent turtures & pulli columbarum Hieroſolymis aliquando, denario aureo, Dixit* Rabban Simeon *ben* Gamaliel, *Per templum hoc, ego hac nocte non quieſcam, niſi veneant denario argenteo.* Ubi Gloſs: *Denarius aureus valet viginti quinque denarios argenteos.*

III. Erat צור non פשוט *Romanus* non *Hieroſolymitanus*: Nam hanc diſtinctionem adhibent aliquando.

*Chetubb.* fol. 67. 1. זוי פשוט Teſte gloſſemate, ſunt זוזי מרינה *Zuzæi Hieroſolymitani.*

At frequentiùs מטבע שלמדינה & מטבע צורי bene reddas *nummum Tyrium*: Aſt audi *Aruch*; ubi egiſſet de nummo צורי tandem ſubinfert: *Dicit R.* Eliezer *Ubicunque in Scriptura,* [צור] *plenè ſcribitur, Scriptura loquitur de urbe Tyro; ubi verò defectivè* [צר] *de Roma loquitur.*

Eſto moneta *Tyria* aut *Romana*, hoc obtinuit apud magiſtros.

*Bava. Kama.* fol. 36. 2. in Gloſs: *ubicunque aliquid dicitur, de nummo argenteo* שלמדינה *Hieroſolymitano, eſt octona pars Tyrii.*

Hinc ego ænigma illud ſolverem, quo hæſitat Gloſſator ipſe, ſi detur conjecturæ locus in re Judaica, poſt hæſitantem Judæum.

In *Bava, Kama.* jam citata *fol.* 97. 2. Sermo eſt de מעות כוזביות ירושלמיות *Nummis Cozbenſibus Hieroſolymitanis.* Ænigma certe. Cudit quidem *Ben Cozba* nummos, cùm inſurgeret in *Romanos*, ut refertur. *Hieroſ. Maaſar Sheni* fol. 52. 4. Aſt unde hi dicti *Hieroſolymitani*, cùm in diebus *Ben Cozbæ* ruderibus propriis Sepulta jaceret *Hieroſolyma?* Me œdipo, ita dicti ſunt, quòd ejuſdem ponderis & valoris forent cum moneta *Hieroſolymitana*, non cum *Tyria.*

*Moneta Hieroſolymitana*, inquiunt, eſt *octona pars Tyrii.* Hìc iterum in ænigmate me implicant verba aliqua magiſtrorum.

*Aruch* in זוז *Denarius & Zuz ſunt idem*, & Gloſs: in *Bava bathr.* fol. 166. 1. *Denarios vocant, linguâ Gemariſticâ, Zuzim*, quod obſervavimus ad *cap.* vi. *ver.* 37. *Zuz* erat moneta *Hieroſo-*

*roſolymitana*, quomodo ergo idem ſonat cum denario, qui moneta *Tyria*; cùm octona ejus pars tantùm foret?

Et ſcrupulum inſuper hæc addunt quæ dicuntur à *Rambamo* in *Peah*, cap. 8. hal. 7. הרינר ו זוזים *Denarius* continet *ſex Zuzim*. Si dixiſſet, *octo Zuzim*, fuiſſet abſque ſcrupulo. At quid jam dicendum?

Priori nodo hunc aptes cuneum, quod *Zuz* apud Judæos vocaretur etiam *Denarius*, Judaicus quidem, at diſpar Romano: ut Scoti *Solidum* habent ſuum, at multùm diſparem à noſtro *Anglicano*: At nodo ſecundo cuneum quærat cui vacat.

IV. Inſignitus erat hic nummus effigie *Cæſaris*, at de nummo *Hieroſolymitano* ſic Iudæi: quibus crede cùm lubet.

*Bava. Kama.* fol. 97. 2. *Quali ſnam eſt moneta Hieroſolymitana?* דוד ושלמה בצד אחר *David & Solomon cuſi erant ab uno latere*; *atque à reverſo* ירושלם עיר הקודש *Hieruſalem Civitas Sancta.* At quærit Gloſſator, an licuerit effigiem *Davidis* & *Solomonis* monetæ incudere, quod vix credit. Concludit ergo quòd nomina eorum tantùm fuerint inſcripta, non effigies.

*Bereſhith Rabb.* fol. 24. 2. *Abrahami nummo cuſi erant ex uno latere, Senex & anus; ex altero, Juvenis & puella. Joſuæ, ex uno latere, bos; ex alio, monoceros. Davidis, ex uno latere, baculus & pera; ex altero, turris. Mardochæi, ex uno latere, ſaccus & cineres; ex altero, corona.*

Penes authores eſto fides.

VERS. 28. Ποία δὲ πρέπει πασῶν ἐντολή;

OCcurrit non rarò apud Rabbinos diſtinctio inter תורה & מצורה *legem* & *præceptum*: Per poſterius intelligunt ſpecialem aliquem vel grandiorem [ ipſis judicibus ] ritum, qualis erat, Circumciſio, Recitatio Phylacteriorum, Sabbatizatio, *&c.* Videtur quæſtio hæc à Scriba propoſita, eadem reſpicere; nempe an præcepta iſta grandia [ prout æſtimabantur ] atque alia iſtiuſmodi ceremonalia, qualia erant, Sacrificia, Purificationes

Ἑορτασμὸς, fuerint maxima præcepta legis, necne, & si sic, quodnam inter ea primum?

Videtur ipse quidem ex responsione, in negativum inclinâsse, & legem moralem prætulisse. Unde Christus dicit eum non multùm abesse à regno cœlorum: dumque ei responsum aptat ex ipsissima isthac periocha, quæ prima erat in recitatione Phylacteriorum שמע ישראל oculos animúmque Recitantium ad sensum medullámque rei recitatæ dirigit, & nè quiescant in opere operato recitandi.

VERS. 41. Ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν.

: היו מטילין שם המעות Glos. *in Shekalim* fol. 8. 4.

Ibid. *Pro arbitrio suo potuit quisquam in arculas projicere quantillum voluit: Nempe in cistam quæ pro auro, tantillum auri quantum pendebat granum hordei: & in cistam pro thure, quantum pendebat granum hordei, thuris. At verò si diceret* הרי עלי *Ecce ego voveo lignum, Non offeret minus quàm duo segmenta, longitudinis cubitalis, & crassitiei proportionatæ. Ecce voveo thus: Non offerat minus quàm pugillum thuris.* Id est, non minus nummi, quàm qui tantum coemat.

VERS. 42. Λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης.

*Hieros. Kiddushin.* fol. 58. 4. ב פרוטות קרייונטס *Duæ prutæ sunt quadrans.*

*Bava Mezia.* fol. 44. 2. *Prutah est octona pars Assarii Italici. Assarius est vicesima quarta pars denarii argentei.*

Reddidimus antè Ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν per היו מטילין מעות Putes reddendum potiùs היו מטילין נחושת at perpende illud in

*Maasar Sheni.* cap. 2. hal. 8. 9. & *Adajoth.* cap. 1. 9, 10. הפורט סלע של מעשר שני: *Qui commutat Selaam decimæ secundæ, schola Shammaana dicit* סלע כל מעות *Commutet totam Selaam in* מעות [ reddes forsan in *nummos* vel in *Meas:*

at

at propriè reddendum eſt *in æs*, ut liquet ex ſequentibus.] *Scholia Hilleliana dicit* שקל בסף ושקל מעות *In ſiclum argenti & ſiclum æris.* Sic etiam Gloſſatores. Et *Aruch* inſuper de voce פורט *Qui commutat Selaam & pro eo recipit* מעות של נחושת שהן פרוטות *nummos æreos, prutas ſcilicet.*

Non licuit cuiquam per Canonem, de quo nuper mentio, in Templum, imò nè quidem in atrium gentium, intrare cum crumena ſua, multò ergò minùs in atrium mulierum; & tamen vix intravit quiſpiam qui non nummum ſecum comportaret aliquem, offerendum *Corbonæ*, an in manu, an in ſinu, an alibi, non definimus: ſic hæc paupercula, quæ duobus minutis æternam ſibi famam coemit, rem appreciante ſupra omnia offerentium dona ipſo Salvatore.

---

## CAP. XIII.

VERS. 3. Εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ.

MIddoth. *cap.* 1. *hal.* 3. *Porta orientalis atrii gentium, picta in ſe habuit Shuſhan Metropolin. Et per hanc portam exiit Summus Sacerdos ad comburendum vaccam rufam.*

Et *cap.* 2. *hal.* 4. *Omnes muri iſtius atrii erant alti, excepto muro Orientali: quia Sacerdos vaccam comburens, ſtabat in vertice montis Oliveti, atque collimabat, ac intuebatur in portam Templi, eo tempore quo ſparſit ſanguinem.*

*Parah. cap.* 3. *hal.* 9. *Sacerdos ſtetit facie in Occidentem verſâ, vaccam mactat dextrâ, & ſanguinem recipit ſiniſtrâ, at ſpargit dextrâ, idque ſepties, directè versùs Sanctum Sanctorum.*

Verum quidem eſt, à quovis tractu *Oliveti* bene proſpici potuiſſe Templum: at vox Κατέναντι, ſi non ad ipſiſſimum hunc locum dirigit, at ad aliquem certè in eadem linea: & non poteſt non actionem iſtam Summi Pontificis in mentem revocare.

VERS.

VERS. 7. Μὴ θροεῖσθε.

Cogita hìc quàm gentem terruerint traditiones Scribarum famâ belli *Gog* & *Magog*, immediatè adventum *Meſsiæ* præceſſuri.

*Beriſh. rabb.* ſect. 41. *R. Eliezer ben Abina dicit, Cùm videris regna ſe invicem turbantia* צפה לרגלי של משיח *Tunc expectes veſtigia Meſsiæ. Atque hoc verum eſſe ex hoc cognoſco, quòd ſic fuit in diebus Abrahami, nam turbârunt ſe mutuò regna, & tum venit redemptio Abrahamo.*

*Bab. Sanhedr. fol.* 95. 2. *Sic venerunt contra Abrahamum, & ſic venturi ſunt cum Gog & Magog.*

*Ibid. fol.* 97. 1. *Tradunt Rabbini. Hebdomadæ iſtius* [annorum] *quâ venturus eſt Filius Davidis, Anno* Primo, *adimplebitur illud, Pluam ſuper unam civitatem, at ſuper aliam non pluam,* [Amos iv.] Secundo, *Sagittæ famis emittentur.* Tertio, *Fames gravis erit, & morientur viri, & fœminæ, & pueruli; Viri ſancti, & viri bonorum operum: Et oblivio legis erit apud diſcentes eam.* Quarto, *Saturitas, & non ſaturitas.* Quintò, *Saturitas magna: nam edent, & bibent, & lætabuntur, & redibit lex ad ſcholares ſuos.* Sexto, *Voces.* [Gloſſ. Divulgabitur fama Filium *Davidis* adventare: vel, Clangent tubâ.] Septimo, *Bella. Et in exitu iſtius* Septimi, *veniet Filius Davidis.*

VERS. 9. Ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα.

*Eſai.* lxvi. 7, 8. Πρὶν τὴν ὠδῖνα τεκεῖν, πρὶν ἐλθεῖν τὸν πόνον ἦλθ' ὠδῖνα, ἐξέφυγε καὶ ἔτεκεν ἄρσεν. Τίς ἤκουσε τοιοῦτο; &c.

Εἰ ὠδῖνε γῆ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ, ἢ κληθήσεται ἔθνος εἰς ἄπαξ, ἅπ ὠδῖνε καὶ ἔτεκε Σιὼν τὰ παιδία αὐτῆς.

Duo, hìc Propheta, 1. Primò, naſcendum Chriſtum ante excidium Hieroſolymorum. Hoc ipſum ex hac Prophetia colligunt fatentúrque ipſi Judæi.

*Hieron. à ſancta fide.* lib. 1. contra Judæos, cap. 2. *Habetur in Geneſi*

*Geneſi magno antiquiſsimo. Dixit R.* Samuel *bar* Nahaman, *Unde probabis, quòd in die qua fuit deſtructio Templi, natus fuit Meſſias? Reſpondit, Ab hoc quod habetur Eſaiæ ultimo:* Antequam parturiret, peperit; antequam veniet partus ejus, peperit maſculum. *In eadem hora qua facta eſt Templi deſtructio, clamabat Iſrael, tanquam parturiens. Et* Jonathas *in Chaldaica tranſlatione dixit. Antequam veniret ejus anguſtia, ſalva facta eſt; & antequam venirent ei dolores partûs, Meſsias revelatus eſt.* [Chald. יתגלי מלכה.]

*Item habetur in eodem libro, Dixit R.* Samuel *ben* Nachaman. *Accidit quòd ibat Elias per viam die in qua deſtructio Templi facta eſt, & audivit quandam vocem exclamantem & dicentem, Templum ſanctum diruitur. Quod quum audiret, imaginabatur qualiter poſſet deſtruere mundum: Profectus autem, invenit homines arantes atque ſerentes; quibus ait, Deus iratus eſt mundo, & vult domum ſuam deſtruere, & filios ſuos ad Gentes captivare, vos autem pro victu laboratis temporali? Et alia vox audita eſt dicens; Sine illos facere, quia natus eſt Salvator Iſraelis. Et Elias ait ubi eſt? Et vox, in Bethlehem Judæ,* &c. Hæc ille, & hæc illi.

2. Prout non immeritò colligitur, naſcendum eſſe Chriſtum, ante excidium urbis, ex iſta clauſula, *Antequam parturiret, peperit; antequam veniret partus ejus* [πόνος τῶν ὠδίνων] *peperit maſculum*, Sic & ex iſta εἰ ἐτέχθη ἔθνος εἰς ἅπαξ, ὅτι ὠδίνε καὶ ἔτεκε Σιὼν τὰ παιδία αὐτῆς, æquè colligitur, colligendas & vocandas eſſe gentes ad fidem, ante iſtud excidium quod apertiſsimè docet Salvator. *verſ.* 10. *Apud omnes gentes oportet primùm prædicari Evangelium.* Nam ut gentes credituræ vocentur *filii Sionis*, & *filii eccleſiæ Iſraeliticæ* ubique apud Prophetas, non opus eſt ut demonſtretur, nam notum eſt omnibus.

Hoc ſenſu intelligenda eſt vox ὠδίνων hoc in loco; convenítq; non ſolùm cum ſenſu Prophetæ allegato, ſed & cum Phraſiologia & ſententia apud gentem receptiſsima de חבלי משיח

*Dolo-*

*Doloribus Meſsiæ*, id eſt, de calamitatibus quas expectârunt futuras ad adventum *Meſsiæ*.

*Sanhedr.* fol. 98. 2. אמר עולא ייתי ולא איחמיניה *Dicit* Ulla, *Adveniet Meſsias, at non videbo eum*: Sic etiam *dicit* Rabba, *Adveniet Meſsias, at non videbo eum*, id eſt, Non videndus erit. *Dicit* Abai ר׳ Rabbæ, *Quare?* משום חבלו של משיח *Propter dolores Meſsiæ. Traditio eſt. Interrogârunt* R. Eliazarum *Diſcipuli ejus, Quid faciat homo, ut liberetur à doloribus Meſsiæ? Verſetur in lege, & in operibus miſericordiæ.*

Gloſs. חבלו *Id eſt, Terrores & dolores qui erunt in diebus ejus.*

*Shabb.* fol. 118. 1. *Qui ter convivatur Sabbato, liberabitur à tribus miſeriis,* מחבלו של משיחו *A doloribus Meſsiæ, à judicio Gehennæ, & à bello Gog & Magog.*

Gloſs. [*A doloribus Meſsiæ*] *Nam ſæculo iſto quo veniet Filius Davidis, erit* קטנוריא *Accuſatio Diſcipulorum* Sapientûm חבלו לשון חבלי יולדת *vox* חבלו *denotat dolores, quales parturientis.*

VERS. 32. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν.

De die & hora, quibúſnam? De die excidii *Hieroſolymitani*, eſſe ſermonem, adeò patet, & per quæſtionem Diſcipulorum, & totum filum diſſertationis Chriſti, ut mirum ſit, quemvis poſſe verba hæc intelligere de die & hora extremi judicii.

Duo à Salvatore quæruntur, *verſ.* 4. [1.] *Quando hæc fient?* ut non relinquatur lapis ſuper lapidem. Et [2.] *Quodnam ſignum hujus conſummationis.* Ad poſterius reſpondet per totum hucuſque caput. Ad prius, verbis præſentibus.

Dixerat quidem commate præcedente, *Cœlum & terra tranſibunt*, &c. non in quæſtionis propoſitæ ſolutionem, nam nihil omnino de diſſolutione cœli & terræ eſt quæſitum, ſed in veritatis rei quam retulerat confirmationem. Ac ſi dixiſſet, Quæritis vos cùm futura ſit talis templi everſio, quando ea futura, & quænam

quænam ejus ſigna. Reſpondeo ego, hæc & iſta & illa ſigna præceſſura, verbaque hæc mea de re ipsa eventura, & de ſignis præcurrentibus, firmiora ſunt ipſis cœlo & terrâ. At quod de definito tempore quæritis, quærendum non eſt, Nam *de iſta die ac hora novit nemo.*

Non poſſumus non hìc meminiſſe, etiam inter ſpectatores excidii Templi, diſſentiri, de die excidii, ut tam parùm notæ fuerint dies iſta ac hora, ante eventum, ut etiam poſt eventum in partes itum ſit de die inter eos qui flammas viderunt: Conflagrationem Templi vidit *Joſephus* oculatus teſtis, eamque aſcribit ille diei menſis *Ab* vel *Loi*, *decimæ*: Nam ſic ille, *De bell. lib.6. cap.26. Periit Templum Decima die menſis Loi* [ vel Auguſti ] *die Templo fatali, quippe quâ olim à rege Babylonico flammis abſumptum eſt.* Eandem conflagrationem vidit *Rabban Jochanan ben Zaccai*, iſque unà cum tota gente Judaica, *nonæ* menſis iſtius aſcribit, non *decimæ*, ita tamen ut dicat, *Si ego in iſto ſæculo non vixiſſem, non adjudicâſſem niſi ad diem decimum.* Nam ut Gloſſ. in *Maimon.* in *Taanith.* cap.5. *Veſper erat cùm flammas admoverent; conflagravitque Templum uſque ad occaſum ſolis diei decimæ. Apud Talmud. ergo Hieroſolymitanum Rabbi & R. Joſhua ben Levi jejunârunt diebus nonâ & decimâ.* Vide & *Bab. Taanith. fol.29.1.*

οὐδὲ οἱ ἄγγελοι.

*Bab.* Sanhedr. *fol. 99.1. Quia dies vindictæ eſt in corde meo, atque annus redemptorum meorum advenit,* Eſai. *lxiii.4. Quid ſibi vult, Dies vindictæ eſt in corde meo? Dicit* R. Jochanan *cordi meo revelavi illum, membris meis non revelavi.* R. Simeon ben Lachiſh *dicit, Cordi meo revelavi illum* למלאכי השרת לא גליתי *at Angelis miniſtrantibus non revelavi.* Et *Jalkut* in locum iſtum: לבא לפומא לא גלי פומא למאן גלי *Cor meum ori non revelat, cuinam os revelaret?*

οὐδὲ ὁ υἱὸς.

Οὐδὲ ἄγγελοι, οὐδὲ υἱὸς; Id est, *Neque Angeli, neque Messias.* Isto namque sensu sumenda est vox Υἱὸς hoc in loco, alibique sæpissimè: ut in periocha ista *Johan.* v. 19. *Filius*, id est, Messias, *ex se nihil potest facere, nisi quod Patrem facientem videt.* 20. *Pater amat Messiam*, &c. 26. *Messiæ dedit vitam habere in seipso*, &c. Vocémque *Filium* hoc sensu esse reddendam, patet ex commate 27. *Authoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quia est Filius hominis*; Nota illud, *Quia est Filius hominis.*

I. Aliud est, *Filium Dei* intelligere nudè & abstractè pro Secunda persona in sacrosancta Trinitate, aliud pro *Messia*, aut Secunda ista persona incarnata. Dicere Secundam personam in Trinitate aliquid non scire, blasphemum est; at non ita est, ita dicere de *Messia*, qui tamen etiam fuit idem cum Secunda persona in Trinitate.

Nam quamvis Secunda persona, secundùm meram Deitatem abstractè considerata, co-æqualis fuerit Patri, co-omnipotens, co-omniscіens, co-æterna, *&c. Messias* tamen [qui διὰνθ ωπος] consideratus ut *Messias*, erat Patris servus & nuntius, & mandata & authoritatem recepit à Patre. Et nè *gry* profuturæ sunt locutiones istiusmodi *Ariano*, *Filius ex se nihil potest*, &c. Si hoc sensu, quod necessariò faciendum est, accipias: *Messias nihil ex se potest*, nam est servus & deputatus.

II. Distinguendum est inter excellentias & perfectiones Christi, quæ fluxerunt ab ipsa hypostatica duarum naturarum unione, & istas quæ fluxerunt à donatione & unctione Spiritûs Sancti. Ab hypostatica unione naturarum fluxerunt, infinita Dignitas personæ, Impeccabilitas, infinita Αὐταρκεία ad præstandam legem, & satisfaciendum justitiæ divinæ. Ab unctione Spiritûs fluxerunt, Potestas miraculorum, futurorum Præcognitio, atque mysteriorum Evangelicorum omnimoda Scientia. Illæ idoneum eum reddiderunt & perfectum Redemptorem, hæ idoneum & perfectum Ministrum Evangelii.

Jam

Jam ergo Præscientia futurorum, de qua re hìc agitur, inter ea numeranda est, quæ ab unctione Spiritûs Sancti fluxerunt, atque ab immediata revelatione, non ab hypostatica naturarum unione. Ita ut ea quæ revelanda à Christo forent Ecclesiæ, à revelatione Spiritûs peteret, non ab ista unione. Nec quicquam à dignitate Personæ suæ est derogatum aut detractum, quòd dicat se non nôsse diem istam & horam excidii *Hierosolymitani?* Imò officio & deputationi suæ congruit admodum, qui dictamina Patris secutus & obsecutus est in omnibus, Patris servus, nuntius & minister. *Filius non novit*, i.e. ei non revelatum est à Patre, ut revelet Ecclesiæ. *Apoc.* i. 1. Apocalypsis Jesu Christi *quam dedit ei Deus.*

Omittimus quærere de Scientia & Cognitione Christi, à morte jam resuscitati; an, & quantùm excederet cognitionem ejus dum adhuc versaretur in terris; absque dubio est, eum jam à mortuis resuscitatum, promeritum fuisse omnimodam Revelationem [ *vid. Apoc.* v. 9. ] eúmque in terris ante mortem versantem, actitâsse vigore Spiritûs Sancti, & sanctitatis istius ineffabilis quæ fluxit ab unione Humanæ naturæ cum Divina, naturâ interim Divinâ infinitam suam activitatem Omnipotentiæ suspendente. Ita ut Christus miracula operaretur & futura præsciret eodem modo quo & Prophetæ, nempè per Spiritum Sanctum, [ at mensura largiori ] & Diabolum vinceret non tam per Omnipotentiam Divinæ naturæ, quàm per infinitam Sanctitatem suæ Personæ, & Obedientiæ. Ita ut si vel eum respicias, ut ministrum Dei & servum; vel constitutionem, ut ita dicam, & conditionem Personæ ejus respicias, nihil incongruitatis secum portant hæc ejus verba, *De die & hora ista non novit, etiam Filius.* Imò substitutionem ejus ut Servi, & constitutionem Personæ ejus ut Θεανθρώπου, optimè eloquuntur.

Ratio cur cœlatum adeò voluit divina Sapientia diem tempúsque excidii *Hierosolymitani*, sibi optimè est nota; & hominibus, cùm tempus fuerit inscrutabile, ratio certè non valdè facilis

cilis ſcrutatu. Conjectari poſſumus, tempus occultatum fuiſſe, partim nè terrerentur ejus ſono pii, ut ii *Theſ.*ii.2. partim ut retibus ſecuritatis ſuæ, caperentur impii, & qui nollent non eſſe ſecuri; ut *Matth.*xxiv.38. At ſecreta ſua ſunto Deo.

## CAP. XIV.

VERS. 3. Νάρδου πιστικῆς.

QUid ſi reddam *Nardini balanini?*

*Plin.* lib.13. cap.1. *Nardinum conſtat, omphacio, balanino, junco, nardo, amomo, myrrha, balſamo,* &c.

*Idem.* lib.12. cap.2. *Myrobalanum, Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ quæ Judæam ab Ægypto diſterminat commune eſt, naſcens unguentum, ut ipſo nomine apparet, quo item indicatur & glandem eſſe arboris.*

Βάλανος ut omnibus eſt notum, apud Græcos eſt *Glans*, ſic & eſt פיסתקא *Piſtaca* apud Talmudicos.

*Bab. Gittin.* fol.69.1. Præſcribuntur varia medicamenta variis morbis: inter alia לברסם ליתי כי פיסתקא רנישרור *Pleuritidi* [ vel ut alii volunt, morbo cuidam capitis ] *Recipe ad quantitatem Glandis de Ammoniaco.* Gloſſ. פיסתקא *eſt glans Cedri.* Aruch פיסתקא *eſt granum fructûs qui vocatur* גלנרא *Glans.*

Vox Νάρδος Hebraizat, à voce נרד forſan & vox πιστική, Syriſſat à voce פיסתקא: Ita ut unguentum vocari poſſit, *Unguentum balaninum*: in cujus confectione primas obtinuere *Nardus* & פיסתקא *Glans* ſive *Myrobolanum.*

Κατέχεεν αὐτοῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς.

Linguâ Talmudicâ רדיגרא משחא אריש׳ד.

*Bab. Chetubb. fol.*17.2. *Quænam ſunt teſtimonia quòd fœmina nupta eſt virgo? Si prodierit nuptum* בחינומא *Peplo ſuper oculos demiſſo, capite tamen non velato. Sparſio nucum eſt etiam teſtimonium.*

*nium. Hæc in Judæa; at quænam in Babylone? Dicit* Rabh רבשחא ארישא דרבנין *Si unguentum fuerit super caput Rabbinorum* [ Gloss. fœminæ unguentum dederunt in capita Scholarium [ תלמידין ] & unxerunt ] *Dicit* Rabh. *Papa* אבי Abaï, משחא דחציפותא קאמר מר *Num doctor iste loquitur de unguento aromatico usitato in thalamis?* [ Gloss. Num Rabbini tales sunt ut istiusmodi unguentis ungantur? ] *Respondit ille* יתמא לא עברא *O Orphane* [ i. e. inscie consuetudinum ] לך אמך דרדוני משחא ארישא דרבנין *Nonne mater tua effudit pro te* [ in nuptiis tuis ] *unguentum super capita Rabbinorum? Ita, quidam è Rabbinis acquisivit uxorem pro filio suo in domo* Rabbæ bar Ulla; *& dixerunt ei,* Rabbah bar Ulla *etiam acquisivit uxorem in domo cujusdam Rabbini pro filio suo* ודרדיג ארישא דרבנן *Et effudit unguentum super capita Rabbinorum.*

E traditione adducta quæri posset, an usitatum foret in *Judæa*, capita Rabbinorum unguentis humectare in nuptiis virginum, ità ut erat in *Babylone?* Aut annon adeò usitatum aliàs capita eorum ungere, ut talis unctio ad nuptias, res non ita memorabilis foret, ac erat in *Babylonia?* Utrobique certè, utcunque capita unxerint quoad sanitatem, incongruum est habitum, Rabbinos unguenta aromatica olere. *Indecorum est,* inquiunt Hierosolymitani, *Discipulo sapientûm olere aromata. Hieros. Berac.* fol. 11. 2. Et *Babylonicorum* sententiam habes hoc ipso in loco, cùm inter eos quæritur, idque quasi cum displicentia quadam, an *Rabbini* tales sint, ut ungantur unguentis aromaticis, ita ut unguntur delicatiores. Ex hac ipsa recepta ubique inter eos sententia, aptiùs intelligas, cur discipuli alii, æquè ac *Judas* profusionem unguenti indignè tulerint: Ille ex nequissima avaritia; illi autem, partim ut nolentes rei tam pretiosæ perditionem, & partim ut non approbantes morem tam delicatum adhiberi circa Magistrum suum, à quo abhorruerunt ipsi magistri Judæorum. Et Salvator ipse invidiam facti amovens, ad funus suum unctionem hanc applicat, & in sua, & in fœminæ

ipsius

ipſius intentione, nè ex delicata aliqua mollitie facta videretur.

VERS. 5. Ἐπάνω Τριακοσίων δηναρίων.

I. Nota vulgò [ ut videtur apud *Plinium* ] erant pretia πολυτίμων iſtiuſmodi unguentorum. Nam ſic ille

*Lib.* xii. *cap.* 12. *Pretium coſti in libras* xvi.

*Pretium ſpicæ* [ Nardi ] *in libras* xc. *Folia diviſere annonam. Ab amplitudine, Hadroſphærum vocatur, majoribus foliis* X xxx [ i.e. Denariis triginta ] *Quod minori folio eſt, Meſophærum vocatur, emitur* X lx. [ Denariis ſexaginta ] *Laudatiſsimum Microſphærum, è minimis folium, pretiumque ejus* X lxxv. [ Denarii ſeptuaginta quinque. ]

Et *cap.* 20. *His addidere Mangones, quam Daphnoiden vocant, Iſocinnamon cognominatam pretiúmque, ejus faciunt* CCC [ Τριακοσίων δηναρίων. ] Vide plura ibid.

II. Non facile eſt Summam hanc trecentorum denariorum, ad proprium valorem reducere, partim quòd duplex foret denarius, argenteus & aureus; partim quòd duplex nummi valor & æſtimatio, *Hieroſolymitani* & *Tyrii*, ut obſervavimus antea. Sunto hi argentei [ quod credimus ] qui minoris longè valoris quàm aurei; & ſunto *Hieroſolymitani*, [ quod etiam credimus ] qui viliores quàm *Tyrii*, effantur tamen planè grandem opulentiam *Magdalenæ* quæ unguentum tanti pretii profudit, cùm & antea tale quid profuderat.

Quod in mentem revocat, ea quæ dicuntur à magiſtris, de *Arcula aromatum* קופת הנשמים, quam tenebatur maritus uxori præbere pro proportione dotis.

*Bab. Chetubb. fol.* 66. 2. *At hoc non dicitur inquit* Rabh Iſhai, *niſi de* Hieroſolymitanis. *Extat exemplum filiæ* נקדימון Nicodemi ben Gorion, *cui allocârunt ſapientes quadringentos aureos pro Arca aromatum in unumquemque diem. Dixit ea illis, Sic utinam allocetis filiabus veſtris; & reſponderunt illi poſt eam, Amen.*

Gloſſ.

Gloſs: *A marito dandi erant decem Zuzæi uxori pro unaquaque Manah quam ea ſecum attulit, ad coemenda aromata, quibus uteretur ad ſe lavandum*, &c.

En locupletiſſimam Hieroſolymitanam filiam *Nicodemi*, in cujus nuptiarum contractu, & ſchedula, ſcriptum erat *Millies mille denarii aurei è domo patris ſui, præter eos qui è domo ſoceri ſui*: quam tamen adeo depauperatam habes in eadem hiſtoria, ut hordea pro victu legeret è ſtercoribus pecorum.

VERS. 7. Πάντοτε γὰρ τὰς πλουσίας ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν.

*Bab. Schabb.* fol. 63. 1. *Dicit* Samuel: *Non eſt diſcrimen inter hunc mundum & dies Meſsiæ* אלא שעבוד מלכיות *Niſi quoad afflictionem regnorum Ethnicorum; Sicut dicitur, Non deerit pauper è medio terræ* [ Deut. xv. 11. ] Nota fatentem Judæum, Pauperes futuros etiam in diebus *Meſsiæ*: quæ quàm conveniant cum recepta eorum ſententia de regno *Meſsiæ* pompoſo, ipſe videat. *R. Sol.* & *Ab. Ezr. Si obediveris verbis Domini, non erit in te pauper; At non obedies, ergo nunquam deerit pauper.* Hac ratione rei recepta, fatearis etiam *O Samuel*, inobedientes futuros in diebus *Meſsiæ*: quod quidem, cùm adveniret verus *Meſsias*, nimiùm nimiúmque probatum eſt verum, in gente tua.

VERS. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων.

Sic *Matthæus*. cap. xxvi. 17. & *Lucas* cap. xxii. 7.

Et jam dicant mihi illi qui opinantur, Chriſtum Paſcha ſuum, quidem, celebrâſſe decimo quarto, at Judæos non ante decimum quintum, quippe quòd rejectum fuerit hoc anno eorum Paſcha in diem decimum quintum ob inſequens Sabbatum; dicant inquam, an Evangeliſtæ loquantur ſecundùm diem à *Moſe* præſcriptum, an ſecundùm diem præſcriptum à Magiſtris traditionum, atque uſitatum à gente; Si ſecundùm *Moſen*, tum decimus quintus erat πρώτη Ἀζύμων, *Exod.* xii. 15, 18. Si verò ſecundùm

cundùm morem gentis, tum dies decimus quartus. Et annon Evangeliſtæ ſecundùm hunc morem loquantur, paucis inveſtigemus.

Tralatum quidem aliquando eſt totum feſtum Septiduanum, in alium menſem, idque non tantùm ex lege iſta *Num.* ix. ſed & ex cauſis aliis de quibus *Hieroſ. in Maaſar. Sheni.* fol. 56. 3. & *Maimon. in Kidduſh. Hodeſh.* cap. 4. at cùm occurreret tempus feſto deſtinatum, nunquam non mactatus eſt agnus die decimo quarto.

I. Ordiamur ab hiſtoria, ubi occaſio occurrit, iſti non admodum diſſimilis, ob quam trajectum fuiſſe Paſcha hoc anno opinantur illi de quibus diximus, nempe ob inſequens Sabbatum. Hiſtoria hæc eſt.

*Hieroſ. Peſachin.* fol. 33. 1. *A morte Shemaiæ & Abtalionis, primas ſedes obtinuerunt filii Betiræ: De tribus dubiis ſciſcitatum aſcendit Hillel è Babylone. Cùm jam eſſet Hieroſolymis, inciderétque dies decimus quartus menſis primi in Sabbatum* [ nota illud ] *non claruit filiis Betiræ an Paſcha pelleret Sabbatum necnè: quod cum Hillel multis determinâſſet, addidiſſétq; inſuper ſe hoc didiciſſe à Shemaia & Abtalione, abdicârunt illi ſeipſos authoritate ſuæ, atque Hillelem præfecerunt. Cùm jam in præfecturam eum coptâſſent, deriſit ille eos dicens, Quid vobis opus eſt hoc Babylonico? Nonne inſerviîſtis duobus primatibus mundi, Shemaiæ & Abtalioni, qui inter vos ſederunt?* Hæc quæ dicta ſunt, in rem noſtram ſatis faciunt, at lectoris veniâ totam hiſtoriam addamus. *Dum ille eos ita rideret, fugit eum memoria traditionis. Nam dixerunt ei, Quid agendum eſt cum populo, ſi non attulerint cultros ſuos? Reſpõdit ille, Traditionẽ hanc audivi, ſed ſum oblitus. At ſinite illos, nam quamvis non ſint Prophetæ, ſunt tamen filii Prophetarum. Extemplo, unuſquiſque, cujus Paſcha fuit agnus, cultrum infixit velleri ejus; & cujus Paſcha hædus, cultrum appendit cornibus ejus.*

Judicet jam æquus lector, inter rationem quæ redditur trajectionis Paſchatis hoc anno in diem decimum quintum, nempe pro-

propter Sabbatum inſequens, ne toto biduo ab opere ſervili abſtinere cogerentur; & rationem ob quam meritò trajici poterat iſto anno de quo hiſtoria. Incidit dies decimus quartus in Sabbatum, oritur ſcrupulus, an cedat Sabbatum Paſchati? an Paſcha Sabbato? Non poſſunt ipſi Primates Synedrii, & oracula traditionum, rem ſolvere: Tranſigitur articulus grandis Religionis, & quid hìc agendum? O filii *Betiræ*, trajicite Paſcha in diem craſtinum & ſolvitur nodus. Certè ſi hoc vel uſitatum fuiſſet, vel licitum, caviſſent illi ne in hoc anguſtiæ laberetur res Religionis, & eorum authoritas & fama. At illud non tolerandum.

II. Adjungamus traditionem quam meritò mireris.

*Peſachin.* cap. 7. hal. 4. *Quinque res, ſi veniunt in immunditia, non comeduntur in immunditia. Manipulus, & duo panes, & panes propoſitionis, ſacrificia Pacifica congregationis, & hirci Neomeniorum.* הפסח שבא בטומאה נאכל בטומאה *At Paſcha quod venit in immunditia, comeditur in immunditia. Quia non venit originaliter, niſi ut comedatur.*

In quam traditionem ſic *Maimonides. Dicit Dominus, Et fuerunt quidam qui immundi erant ex cadavere hominis* [ Num. ix. 6. ] *& determinat de iis, nempe ut rejiciantur à Paſchate primi menſis ad Paſcha ſecundi. Et traditio eſt, quòd hoc ita fuit determinatum, ideo quòd pauci forent; At vero ſi tota congregatio fuerit immunda, aut ſi maxima pars ejus fuerit immunda, offerunt tamen Paſcha, quamvis ſint immundi. Ideo dicunt, Homines particulares rejiciuntur ad Paſcha ſecundum, at tota congregatio non rejicitur ad Paſcha ſecundum. Paritérque omnes oblationes congregationis, offerunt eas in immunditia, Si plurimi ſint immundi, quod & diſcimus à Paſchate. Nam dicit Dominus de Paſchate* במועדו *quòd offerendũ eſt in tempore ſuo ſtatuto* [ nota illud ] *& dicit etiam de oblationibus congregationis. Hoc facietis Domino, temporibus veſtris ſtatutis, atque omnibus illis præſcribit tempus ſtatutum. Omne igitur cui ſtatuitur tempus, offertur etiam in immunditia; Si modò plurimi è congregatione, aut plurimi è ſacerdotibus ſint immundi.*

*Hieroſ. Sotah.* fol. 16. 3. *Comperimus quòd congregatio facit Paſcha ſuum in immunditia, eo tempore quo plurimi eorum ſunt immundi. Et ſi de immunditia nota, ſic diſpenſatum eſt, multò magis de immunditia dubia.*

At quidnam opus tali diſpenſatione? Nonne trajicere Paſcha potuiſtis, O patres Synedrii, in diem unum, aut biduum, ut purificetur populus? Nequaquam: nam offerendum eſt Paſcha במועדו *tempore ſuo ſtatuto*, die decimo quarto, abſque ulla diſpenſatione, Nam

III. Sic de iſto Die Canones iſtius eccleſiæ.

*Peſachin.* cap. 1. hal. 1. אור ליד בורקין את החמץ לאור הנר *Luce diei decimæ quartæ inveſtigant fermentum per lucem candelæ.* Gloſs: *Nocte cui dies inſequens eſt dies decimus quartus*: atque adi omnes commentatores, & docebunt illi, hoc factum eſſe exeunte jam die decimo tertio.

*Maimon. in* חמץ ומצה cap. 2. *E verbis Scribarum. Inveſtigant atque amovent fermentum initio noctis diei decimi quarti, idque per lucem candelæ: Nam noctu omnes ſunt intra ædes ſuas, & candela eſt aptiſsima tali inveſtigationi. Ergo non ſtatuunt exercitia in fine diei decimi tertii, nec incipiat ſapiens Phylacteria ſua recitare iſto tempore, ne inde ob ejus prolixitatem impediatur ab inveſtigando fermento, tempore ſuo.*

*Id. ibid.* cap. 1. *Prohibitum eſt comedere fermentum die decimo quarto à meredie, & porro*, viz. *ab initio horæ ſeptimæ.---- Prohibuerunt etiam ſapientes noſtri, comeſtionem ejus ab initio horæ ſextæ--- Etiam horâ quintâ non comedunt fermentum, ne forte nubilus ſit dies, & ſic erretur de tempore.--- Ecce diſcis, quòd licitum eſt fermentum comedere die decimo quarto, ad finem uſque horæ quartæ, at quintâ non utendum.*

Idem in *Corban Peſach.* cap. 1. *Non mactandum erat Paſcha niſi in atrio, ubi mactabantur reliqua Sacrificia: Mactandúmque die decimo quarto poſt meridiem, poſt juge Sacrificium.*

Et

Et jam dicas lector quemnam diem dicant Evangelistæ πρώτων Ἀζύμων: & an probabile omnino fuerit, unquam trajectum fuisse Pascha in diem decimum quintum: Multò minùs probabile est, Christum hoc anno Paschate suo, Pascata Judæorum præveniisse die uno. Nam

Non mactandum erat Pascha nisi in atrio, ubi mactabantur reliqua Sacrificia, ut audivimus nuperrimè à *Maimonide*, & vide Rubricam introductionis agnorum in atrium, & mactationis. *Pesachin.* cap. 5. hal. 5, 6. & tum dicas seriò, an credibile siet, Sacerdotes in Templo, velle contra decretum Synedrii eo anno statutum [ ut fert sententia cui contradicimus ] agnum Christi unum, solum, singularem mactare, cùm ex decreto isto mactari non deberet ante diem crastinum? Cùm diceret Christus discipulis, *Nôstis quòd post biduum est Pascha*, cúmque juberet, *Ite & parate nobis Pascha*, mirum est eos non retorsisse, Verè quidem Domine, deberet esse post biduum, at rejectum est hoc anno in diem ulteriorem, ut jam sit post triduum: Impossibile est igitur ut hodie paremus, nam non permittent Sacerdotes mactationem ante crastinum.

Satis ut opinamur in hac re diximus: At de die Paschali loquenti liceat pauca addere, quamvis non ad rem de qua egimus, quæ forsan non indigna erunt perpensione.

*Pesachin.* cap. 8. *Lugens lavat se, & comedit Pascha suum vespere. Proselytus qui proselytizatur vesperiis Paschatis, schola Shammæana dicit, Baptizetur & comedat Pascha suum vespere; Hilleliana dicit, Qui separat se à præputio* [ i. e. ab Ethnicis & Ethniciſimo ] *est ac si separaret se à Sepulchro.* Glos, *Et opus habet purificatione septiduana.*

*Hieros. Pesachin.* fol. 36. 2. אסרטטורין היו בירוש *Milites erant Hierosolymis, qui se baptizârunt & comederunt Paschata sua vespere.* Notandum certè: Proselytos, eodem die proselytos factos, & comedentes Pascha, idque, ut videtur, absque Circumcisione, sed baptismo solo admissos.

Cura Scholæ Hillelianæ hac in cauſa, non tam Proſelytum, die Paſchatis proſelytum factum & baptizatum, repulit à comedendo Paſchate, quàm cavit de futuro, ne ſcilicet ille annis ſequentibus ſe obtruderet ad comedendum Paſcha in immunditia. Nam dum in Ethniciſmo erat, immunditiam non contraxit à Sepulchro contacto, at jam proſelytus factus, contraxit, &c. Hæc Gloſs.

Ἑτοιμάσωμεν ἵνα φάγῃς τὸ Πάσχα.

Nam & per famulos parata ſunt Paſchata Dominis ſuis.

*Peſachin.* cap. 8. hal. 2. *Si dicat quis famulo ſuo, Ito & macta mihi Paſcha, iſque hœdum mactet, de eo comedat; Si agnum mactet, comedat de eo; Si & hœdum & agnum, comedat depriori*, &c.

VERS. 26. Καὶ ὑμνήσαντες.

*Peſachin.* cap. 9. hal. 3. *Quidnam diſcriminis inter Paſcha primum & ſecundum?* [ i. e. primi menſis, & ſecundi. *Num.* ix. ] *In primo obligatur quiſquis ſub iſta lege. Fermentum non videbitur apud vos, nec invenietur. In ſecundo, fermentum & Azymum poſſunt eſſe cum homine in domo ſua. In primo, tenetur ad hymnum cùm comedit Paſcha: In ſecundo, non tenetur ad hymnum cùm comedit. In utroque tenetur ad hymnum dum facit*, vel mactat. *Utrumque comedendum eſt aſſatum, & cum Azymis, & herbis amaris, & utrumque pellit Sabbatum.*

Quærunt Gemariſtæ, *Unde hoc, quòd tenentur ad hymnum dum comedunt Paſcha? Dicit R.* Jochanan *nomine* R. Simeonis *ben* Joſedek. *Dicit Scriptura, Canticum vobis erit, ſicut in nocte cùm celebratur feſtum.* [ Eſai. xxx. 29. ] *Nox, quæ ſanctificatur in feſtum, tenetur ad hymnum; Nox, quæ non Sanctificatur in feſtum, non tenetur ad hymnum.*

Gloſs: *Sicut ſoletis cantare nocte cùm celebratur feſtum. At non eſt tibi nox quâ obligantur ad canticum, præter noctem cùm comeditur Paſcha.*

II. Hymnus

II. Hymnus iste *Rabbinis* vocatur *Hallel*, erátque ab initio *Psal.* cxiii. ad finem *Psal.* cxviii. quem intersecuerunt, partémque ejus recitârunt in ipso medio convivii, & partem rejecerunt ad finem.

De extensione prioris portionis disceptatum est inter Scholas *Shammæanam* & *Hillelianam*. *Shammæana* dicit, usque ad finem *Psal.* cxiii. *Hilleliana* dicit, ad finem usque *Psal.* cxiv. Sed his non immorabimur. Hymnus quem jam occinuit Christus cum suis à cibo, erat pars posterior. In qua, ut observant magistri traditionum, memorantur hæc quinque.

*Exitus ex* Ægypto. *Scissio maris rubri. Traditio legis. Resurrectio mortuorum, et Dolores Messiæ. Exitus ex* Ægypto, *sicut scribitur, Cùm exiret* Israel *ex* Ægypto. *Scissio maris rubri, sicut scribitur, Mare vidit et fugit. Traditio legis, sicut scribitur, Montes saltaverunt sicut arietes. Resurrectio mortuorum, sicut scribitur, Ambulabo coram Deo in terra viventium. Et dolores Messiæ, sicut scribitur, Non nobis Domine, non nobis. Pesachin.* fol. 118. 1.

Ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

Tenebantur Canonibus Traditionalibus ad pernoctationem intra *Hierosolymam*.

*Pesachin.* fol. 95. 2. *Paschate primo tenetur quispiam ad pernoctationem* [ טעון לינה ] *Paschate etiam secundo, tenetur ad pernoctationem.*

Glos: *Paschatizans tenetur ad pernoctandum in Hierosolyma nocte prima.* At disputatur, an nocte eadem, qua comesus agnus; an nocte, primum diem festum sequente. Vide locum: & permitte Leonem de tribu *Judæ*, telis istis aranearum non constringi.

VERS. 36. Ἀββᾶ ὁ Πατήρ.

Ita ut necesse est, ut distinguas inter Idiomata Hebræum & Chal-

Chaldaicum in vocibus אבי & אבא sic distinguas licet, ferè dixeram necesse est, de earum sensu. Nam vox אבי patrem quidem naturalem denotat, at simul patrem etiam civilem, Seniorem, Dominum, Doctorem, Magistratum: verùm vox אבא patrem solùm naturalem, quocum & comprehendimus adoptantem, imò denotat *Pater meus.*

*Bab. Sanhedr.* fol. 37. 1. שלא יאמר ארם לחבירו אבא גדול מאביך.

*Nè dicat quisquam vicino suo,* אבא *Pater meus nobilior est patre tuo.*

*Aruch* in אבא *Interrogavit R. Chaïa* τὸν *Rabh filium fratris sui, cùm veniret in terram Israeliticam* אבא קיים *Num pater meus vivit? Et respondet ille* אמא קיימת *Num & mater tua vivit?* q. d. Nôsti matrem tuam esse defunctam, ita & scias patrem tuum esse defunctum.

*Bathr.* fol. 10. 2. *Solomon dixit observate* מה פירש אבא *Quid dicat pater meus?* Sic apud *Targum.* infinities.

Et observare licet apud paginas Sacras, ubicunque fit mentio de patre Naturali. *Targumistas* adhibere vocem אבא: at cùm de patre Civili, vocem aliam.

I. De patre Naturali,

*Gen.* xxii. 7. ויאמר איבי *Targ.* ואמר אבא

*Gen.* xxvii. 34. ברכני גם אני אבי. *Targ.* ברכני אוף לי אבא

*Gen.* xlviii. 18. לא כן אבי *Targ.* לא כדין אבא.

*Judic.* xi. 36. אבי פתחת פיך *Targ.* אבא פתחת פומך

*Esai.* viii. 4. ידע עולימא למקרי אבא ואמא Vide & *Targ.* in *Josu.* ii. 13. & in *Judic.* xiv. 16. alibíque frequentissimè.

II. De patre civili

*Gen.* iv. 20, 21. הוא היה אבי. *Targ.* הוא הוה רבהון

I. *Sam.*

I. *Sam.* x. 12. ומי אביהם *Targ.* ומן רבהון
II. *Reg.* ii. 12. אבי אבי *Targ.* רבי רבי
II. *Reg.* v. 13. ויאמרו אבי. *Targ.* ואמרו מרי
II. *Reg.* vi. 21. אבה אבי. *Targ.* אקטול רבי

Hinc patet ratio verborum Apoſtoli, *Rom.* viii. 15. Ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας ἐν ᾧ κράζομεν Ἀββᾶ ὁ Πατήρ, & *Gal.* iv. 6. *Quoniàm filii eſtis*, &c. Aliud erat Deum vocare אבי *Patrem*, id eſt, Dominum, Regem, Doctorèm, Gubernatorem, &c. & aliud, eum vocare אבא *Patrem meum*. Doctrina adoptionis, proprio ſenſu, erat Scholis *Judaicis* omnino ignota. [populum ſolùm *Iſraeliticum* à Deo præ omnibus aliis gentibus adoptatum jactantibus] & tamen dixerunt Deum אבי *Patrem* & אבינו *Patrem noſtrum*, id eſt, Deum, Dominum, Regem noſtrum, &c. At *cùm filii ſitis*, ait Apoſtolus, clamatis אבא *O pater meus*, ſenſu proprio & verè paterno.

Sic Chriſtus hoc in loco: utcunque ſub agone infando, & circumſeptus undique angoribus, & providentiâ admodum nubilâ et tenebricosâ; tamen Deum agnoſcit, invocat, invenit אבא Patrem ſuum, ſenſu ſuaviſſimo.

Κεκράζομεν Ἀββᾶ ὁ Πατήρ· Num Sancti Deum invocantes, & vocantes Ἀββᾶ, addiderunt etiam ὁ Πατήρ; An Chriſtus etiam eâdem additione uſus eſt vocis Græcæ, aut repetitione vocis Ἀββᾶ aut אבי? Videtur potiùs ὁ Πατὴρ hìc addi à *Marco*, itémque ibi à *Paulo* in explicationem vocis אבא Ἀββᾶ: quod & eo probabilius eſt, quòd efferatur ὁ Πατήρ, & non ὦ Πάτερ.

VERS. 51. Περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ.

Bene redditur à Vulg. *Amictus Sindone*: nam eò reſpiciunt verba: non quòd circumjectum circa ſe laxè tantùm, & fortuitò haberet linteum aliquod, ſed quòd veſtimentum quo ſemper inceſſit amictus, fuerit è Sindone, id eſt, de lino.

Audiamus Talmudicos paucis.

*Menachoth*, fol. 40. 1. *Tradunt Rabbini* סדין בציצית *Sindon*

*cum*

*cum peniculamentis quid? Schola* Shammæana *absolvit.* Hilleliana *obligat, et sapientes determinant secundùm Scholam* Hillelianam. *Dicit* R. Eliezer, *ben* R. Zadok, *Quicunq; hyacinthum gestat Hierosolymis, est de iis qui homines faciunt mirari.* Per hyacinthinum [תכלת] intelligunt fimbrias memorativas legis, *Num.* xv. Et per סדין vel *Sindonem* intelligitur טלית *Pallium* vel vestis ista, quæ ut amiciendo corpori inserviit, sic & dupliciter inserviit religioni: Nam 1. huic vestimento affixa sunt peniculamenta [ציצית] vel fimbriæ de quibus mentio. *Num.* xv. 38. 2. Hoc vestimento capita cooperuerunt vulgò cùm orarent: Hinc illud apud *Gemaristas* loco citato טלית שמתכסה בו קטן ראשו ורובו. *Talith, vel pallium quo caput suum et magnam sui partem tegit puer, si eo indutus prodeat quis grandævior immodestius, tenetur ad peniculamenta.* Et *Piske Tosaphoth in Menachoth* numer. 150. *Sacerdotes qui velant se cùm ascendunt in suggestum* בטלית שאינו להם *pallio quod suum non est,* &c.

Jam verò usitatum est pallium hoc gestare, æstate præsertim, & *Hierosolymis* præsertim è *Sindone* confectum vel è lino. Et quæstio inter Scholas *Shammæanam* & *Hillelianam* hinc oritur, quòd cùm fimbriæ forent laneæ, et pallium lineum, quomodo evitaretur suspicio Heterogeneorum?

שרא ר זירא לסריניה *Solvit* R. Zeira *Sindonem suam.* Gloss. *Solvit peniculamenta sua à Sindone sua* [id est, à *Talith* quæ erat è Sindone] *quia ea linea erat,* &c.

*Ibid. fol.* 41. 1. *Angelus invenit* Rabh Ketina דמיכסי סריניא *Amictum Sindone, & dixit ei, O* Ketina, Ketina סריא בקייטא *Sindonem in æstate,* וסרבלא בסיתוא *Et chlamydem hyeme.*

Vides emphaticum esse quod dicitur ab Evangelista Ἐπὶ γυμνοῦ, nam usitatissimum erat amiciri Sindone, pro veste exteriori, Quid ergò de hoc juvene dicendum? Suspicor primò, quòd non fuerit ille discipulus *Jesu*, sed quòd jam sequeretur, ut curiosus spectator visurus quidnam hoc turbæ tandem generaret. Et suspicioni tali certè suffragantur illi qui eum è lecto excitatum opinan-

opinantur, turbámque feſtinanter ſecutum induſio tantùm tectum, non indutis veſtibus; Arbitror ſecundò, S. *Marcum* in Phraſiologia περιζωσάμενον σινδόνα, loqui ſecundùm notam & vulgarem Dialectum gentis סרינא כיכסי vel סרין מתכסה Nam nullo modo mihi perſuaſeris, illum Idiomate uti velle, genti ignotiori aut alieno: atque ipſiſſima eadem Phraſi Græcè utentem, cum iſta Judaica, non ipſiſſimum eundem ſenſum velle proponere. Jam verò, ipſis edocentibus, clarè vides quidnam apud eos vellet סרינא כיכסי, *veſtiri Sindone*, nempe *Talith* vel pallium habere confectum è Sindone: veſtem iſtam cui appenſa peniculamenta. Arbitror denique, hunc juvenem, ex religione, vel ſuperſtitione potiùs, plùs quàm vulgari, Sindonem ſuam, eámque ſolam nudo corpori induiſſe, neglecta veſte interiori [ vulgò חלוק ] & quidem neglecto corpore. Nam erant apud Judæos qui corpora ſic macerarent, cruciarèntque fame, & frigore, etiam ſupra ſeveram regulam aliarum ſectarum.

*Joſephus*, in vita ſua. *Sedecim annos ego natus, ſtatui experimentum facere inſtituti trium inter nos Sectarum*, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſenorum: *Judicavi enim me optimè optimam ex iis eligere poſſe, ſi omnes ediſcerem. Affligens igitur meipſum & multùm crucians, omnes ſum expertus.* Καὶ μισθὸν τῷ ἐντεῦθεν ἐμπειρίαν ἰκανὴν ἑαυτῷ νομίσας εἶναι, &c. *At has expertum eſſe, non ſatis eſſe apud me judicans, audiénſque* Banum *quendam in eremo degentem, veſte uti* ἀπὸ δένδρων *è foliis, aut corticibus arborum confecta, cibóque non niſi ſponte ſua naſcenti, atque aquâ frigidâ ſæpius interdiu noctúq; ſeipſum lavantem, Imitator illius factus ſum, & tribus annis apud eum manſi.*

Et in loco iſto quem modò adduximus apud Talmudicos, ad ipſam iſtam hiſtoriam de *Rabh. Ketina*, Sindonem hyeme geſtante pro *Talith* ſua, hæc habentur. *Religioſi antiquiores cùm texuiſſent tres alas* [ טלית ] *ad unxerunt* תכלת *Hyacinthinum*, unde confectæ fimbriæ peniculamentariæ. *Aſt aliter* חסידים



לפעמים

מחמרי לנפשיהו *Religioſi qui ſibi impoſuerunt graviora.* Atq; immediatè ſequitur hiſtoria de Angelo & *Ketina* qui ita fecit. Erant qui aggravarent ſibi onera et juga Religionis ſupra communem normam, et hoc intelligendum eſſe per מחמרי לנפשיהו et conſuetudo quorundam inter Judæos ſuadet, et vox ipſa loloquitur, eodem ſenſu alibi adhibita apud Gemariſtas.

Talem arbitramur fuiſſe hunc juvenem [ qualis et *Joſephus* erat, juvenis, de quo antè ] qui dum alii duplici indumento חלוק et טלית ſe munirent contra frigora, ſimplici veſtimento indueretur eóque, è Sindone vel lino, et ſub prætextu Religionis aliquantùm auſterioris, et vulgarem conſuetudinem negligeret, et curam ſui.

Res, ſenſu quo proponimus, ſumpta, furibundam inſaniam nequiſſimæ hujus turbæ demonſtrat eò magìs, quòd homini non pepercerint, eíque juveni, notas evidentiſſimas Religionis ſeverioris referenti.

VERS. 56. Ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν.

Teſtimonia in his caſibus tripartiuntur Canones traditionales.

1. Erat עדות בטילה *Teſtimonium inane:* quo audito, nihil ampliùs eſt ab iſto teſte quæſitum, nihil ampliùs cum eo actum, ſed amotus ille, ut nihil ad rem loquens.

2. Erat עדות קיימת *Teſtimonium ſtans* (nam ſic liceat hìc vertere) quòd quanquam non rem abſque dubio probaret, non rejectum tamen eſt à judicibus, ſed admiſſum ad examen per הזמה: admiſſis ſcilicet aliis qui improbationem ejus tentarent, ſi modò fieri poſſet.

3. Erat teſtimonium כשרבריהם מכוונים [ erat & hoc etiam עדות קיימת ] cùm verba teſtium duorum congruerent & eſſent ad idem. Μαρτυρία ἴση De his vide *Sanhedr. cap. 5. halac.* 3, 4. ubi etiam agitur de accurato ſcrutinio & examine teſtium, per בריקורת & חקירות & הזמה quo diſquiſitionis ventilabro, ſi teſtes contra *Chriſtum* blaterantes latrantéſque examinarent, Oh innocentiam beatiſſimi *Jeſu* infandam & infinitam,

finitam, quàm criminatione nulla aſpergere potuit ipſa invidia & inſania, in cædem ejus conjuratiſſima!

Dicitur *ver.* 55. Ἐζήτων κατὰ τοῦ Ἰησοῦ μαρτυρίαν. Hoc nec æquum eſt, ô patres Synedrii, nec regulæ veſtræ congruum. *Sanh. cap.* 4. דיני נפשות פותחין לזכות ואין פותחין להובה *In judiciis de capite, incipiatur à tranſactione circa impunem dimittendum eum, qui judicio ſiſtitur, & non incipiatur ab iis, quæ ad condemnandum eum faciunt.*

An Synedrium jam Canonem iſtum ſequeretur in ſcrutamine de cauſa Chriſti, ipſi videant: ex toto quidem eorum proceſſu, ſatis patet quò tenderet eorum diſquiſitio. Et detur, eos colorem aliquem juſtitiæ & miſericordiæ prætexuiſſe, permiſiſſéque ut prodiret quivis qui vellet ללמד עליו זכות aliquid in ejus patrocinium atteſtari, ubinam talis jam reperiendus? cùm omnes ſui, ei terga dediſſent, præcaviſſéntque patres Synedrii ut fulmine excommunicationis feriretur quicunque eum pro Chriſto agnoſceret, *Johan.* ix. 22.

---

## CAP. XV.

Vers. 1. Ἐπὶ τὸ πρωὶ συμβούλιον ποιήσαντες καὶ ὅλον τὸ Συνέδριον.

MAimon. *Sanhed. cap.* 3. *Quoto tempore ſedent judices in judicio? Synedrium minus, & conſeſſus triumviralis, ſedent à finitis precibus matutinis, uſque ad finem horæ ſextæ: At Synedrium magnum, ſedet à ſacrificio jugi matutino, ad ſacrificium jnge pomeridianum. Atque Sabbatis & diebus feſtis* [ qualis erat hic dies de quo jam agitur ] *ſedit in Beth midraſh* [ vel Sacello ] *in atrio gentium.*

*Synedrium ſeptuaginta unius ſeniorum, non neceſſe habet ut ſedeant omnes in loco ſuo qui eſt in Templo. Cùm vero neceſſe eſt ut congregentur omnes, congregentur omnes* [ ὅλον τὸ Συνέδριον. ]

*Aſt aliis temporibus, qui propria habet negotia, propriis negotiis*

*tiis vacet, & tum redeat. Hoc proviſo, quòd non deficiat quid de numero viginti trium conſidentium continuò per totum tempus ſeſsionis* [ συμβέλιον ] *Si cui neceſſariò ſit exeundum, circumſpiciat an collegæ ſui ſint viginti tres: Si ſint, exeat; Sin minùs, expectet uſque dum introeat alter.*

VERS. 6. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν ἀπέλυεν, &c.

Syr. בכל עאדא: Sic & Arabs פי כל ע׳ר *unoquoque feſto.* Beza. *Singulis feſtis.* Quod nequaquam placet. Nam planè dicitur à *Pilato* ipſo, ut *unum vobis dimittam in Paſcha,* Johan. xviii. 39. & relaxatio vincti non adeo convênit reliquis feſtis, ac Paſchati. Quippe quòd Paſcha memoriam ſecum portaret relaxationis populi ex *Ægypto:* alia autem feſta aliò reſpicerent. Κατὰ τὴν ἑορτὴν, ego paraphraſticè redderem, Secundùm naturam aut qualitatem feſti, quod erat monumentum relaxationis.

Voces עאדא & ע׳ר à Syro & Arabe hìc alibique adhibitæ pro *feſto*, præſertim verò ע׳ר, in mentem revocat diſputationem iſtam Gemariſtarum in vocem ſecundam in tractatu *Avodah Zarah*, nempe an אידיהן ſcribenda ſit, an עידהן, quâ denotatur dies feſtus Ethnicorum.

VERS. 7. Βαραββᾶς.

Memoremus & cum eo latronem apud Talmudicos celeberrimum בן דינאי *Ben Dinai*, cui & nomen *Eliazar*, de quo hoc illi, obſervatione chronologica dignum.

*Sotah. fol.* 47. 1. *Ex quo multiplicati ſunt homicidæ, ceſſavit decapitatio vaccæ, nempe ex quo venit Eliazar ben Dinai, qui vocabatur etiam Techinnah ben Periſhah: at rurſus vocârunt eum* בן הרצחן *Filium homicidam.* De eo mentio *Chetubb.* fol. 27. 1. ubi ſcribitur בן דונא *Ben Donai.* Et *Kelim.* fol. 12. 2. Vide & בן נצר Regem latronum, in *Chetubb.* fol. 51. 2.

VERS.

VERS.21. Ἐρχόμενον ἀπ' ἀγροῦ.

*Betsah.* fol. 31.1. מביאים עצים מן השדה, *Important ligna ex agro* [die festo] *vel collecta in unum, vel* מן הקרפף *à loco aliquo circumsepto, vel sparsa:*

Gloss. *Important ligna die festo ex agro, qui est intra limites Sabbaticos, si collecta in unum forent vesperiis diei festi,* &c. קרפף *est locus custoditus & circumseptus undique.*

*Rambam. Rabbi Jose* dicit: *Si sit in* קרפף *ostium, quamvis distet ab urbe ferè bis mille cubitis, qui sunt limites sabbatici, licet inde importare ligna.*

Concipiatur *Simonem Cyrenæum,* ex agro redire sic onustum ligno, & præbuisse eum occasionem militibus aut lictoribus etiam concipias, cur crucem ei imponerent, nempe quòd strenuum portitorem eum viderent, & pro uno onere, hoc aliud imponerent ei ferendum.

VERS.25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.

At *Johannes* cap.xix.14. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὡσεὶ δὲ ὥρα ἕκτη. Cùm scilicet *Pilatus* eum traderet crucifigendum.

A priori clausula Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, enata est sententia ista de qua aliquid diximus antè, de trajectione comestionis agni hoc anno ad diem decimum quintum: Nam opinantur per παρασκευὴν τοῦ Πάσχα intelligendam Præparationem agni, aut ad agni comestionem. Cui interpretationi suffragari opinantur illud quod dicitur ab eodem *Johanne,* cap.xviii.28. *Noluerunt in prætorium introire, nè polluerentur, sed ut comederent Paschα.* Atque hinc fidenter concluditur ab iis, quòd utcunque Christus agnum suum comederit die præcedenti, Judæi tamen suos comesturi erant hoc ipso die.

Agemus primò de die prout hìc occurrit sub nomine παρασκευῆς τοῦ Πάσχα, & dein de hora.

I. Tenebatur unusquisque Israelita, intra septiduum istud solenne

lenne, poſt comeſum agnum ad hæc duo. 1. Ad comparendum coram Domino in atrio, idque cum ſacrificio. 2. Ad ſolennem lætitiam & feſtivitatem, idque etiam cum ſacrificiis. Res prior vocatur à Judæis ראי"ה poſterior חגיגה.

*Chagigah cap.*1. *hal.*1. הכל חייבין בראי"ה *Omnes tenentur ad comparendum exceptis Surdo-mutis, fatuis, puerulis,* &c.

Et paulo pòſt *Schola Shammæana* dicit, *Comparitio ſit cum duobus argenteis* [ ראי"ה בשתי כסף ] *Et Chagigah ſit cum Meah argenti* [ וחגיגה מעה כסף ] *Hilleliana dicit, Comparitio ſit cum Meah argenti, & Chagigah cum duobus argenteis.*

Gloſſ. *Omnes tenentur ad Comparitionem ex iſto præcepto,* Omnes mares tui comparebunt, *&c.* [ Exod.xxxiii.17. ] *& neceſſe eſt ut compareant in atrio in feſto. Comparens, cùm ſe ſiſtit in atrio, afferat holocauſtum, quod nequaquam ſit minoris pretii quàm duorum argenteorum, id eſt duarum Mearum argenti. Tenentur etiam ad ſacrificia pacifica Chagigæ, ex iſta lege* וחגתם אותו חגלה Et celebrabitis ipſum feſtum Domino. [ *Exod.*xii.14. ]

*Rambam. in loc. Dicit Dominus. Nè compareant coram me vacui,* Deut.xvi.16. Id eſt, *Afferat* קרבן עולה *Oblationem holocauſti in manu ſua, cùm aſcendit ad feſtum. Et iſta Holocauſta vocantur* עולות ראי"ה *Holocauſta Comparitionis, atque etiam* ראי"ה *Comparitio, abſente voce, Holocauſtum.*

*Et chagigah: Inde quòd dicit Dominus:* וחגתם אותו חג לה': *hoc ſibi vult* שיביא קרבן שלמים *ut adducat oblationem pacificorum, & hæc pacifica vocantur Chagigah.*

II. Ex hiſce duabus, Comparitione ſcilicet & *Chagigah,* major erat *Chagigah,* & celebrior.

Nam 1. Tenebantur quidam ad *Chagigam,* qui non tenebantur ad Comparitionem.

*Chagigah.* fol.2.2. *Is qui ſurdus quidem non eſt, at tamen mutus eſt, non tenetur ad Comparitionem, at tenetur tamen* לשמחה *ad lætandum*: Verum quidem eſt, diſtingui à Gemariſtis in aliquibus inter חגיגה *Chagigam,* & שמחה *Lætitiam,* fol.9.2. at Gloſſator

Gloſſator unus in locum allegatum כי קאמר רמ"ח ייב בשמחה הוא דין הנ"נה : *Illud quod dicit de Lætitia, obtinet etiam de Chagigah.* Et alter. *Tenetur* לשמחה *ad Lætitiam, nempe ut lætetur in feſto, ut ſcriptum eſt, Et lætaberis in feſto tuo: Et dicunt alibi, quòd lætitia iſta eſt ex ſacrificiis pacificis, comedendo ſcilicet carnem.*

5. Non tam ſtrictè obligabatur *Comparitio* ad diem primum feſti, ac *Chagigah* obligabatur.

*Chagig.* fol. 7. 3. עולות נדרים ונדבות במועד באות ביט אינן באות וראויה באה אפילו ביט *Holocauſta ex voto, & ſpontanea offeruntur in diebus feſti nefaſtis, non offeruntur die feſto, at holocauſta Comparitionis poſſunt offerri etiam die feſto, & cùm offeruntur, offerantur non niſi* מן החולין *ex pecoribus communibus* : ושלמי שמחה *Ac pacifica Lætitiæ etiam ex decimis Chagigah diei primi feſtivi, paſchatis, ſchola Shammæana dicit, Sit de* [ Cholin ] *communibus, Hilleliana, de decimis: Quid eſt quod docet de Chagigah diei primi feſtivi, Paſchatis? Dicit Rabb Iſhai.* הניטה וט אין *Chagigah diei decimi quinti ita :* חגיג יר לא *Chagigah diei decimi quarti non:*

Gloſſ. *Holocauſta Comparitionis non offerebantur die primo feſti, quanquam erant ex officio feſti, quia pro iis compenſari potuit die inſequenti.*

*Chagigah diei primi feſti, erat abſque dubio ex debito,* vel officio, *quamvis eſſet ei ſatis carnis aliàs.* Nam ut paulò antè, *Offerebant pacifica die iſto feſto.* לפי שיש בהם צורך למאכל הריוט *ideo quòd opus iis haberent ad victum privatum:* Et adforet licèt victûs ſatis, offerenda tamen erat *Chagigah* ut debita diei.

*Chagigah diei decimi quarti hæc erat* כשהיתה חבורת פסח מרובה : *Cùm Φιατρία aliqua numeroſa erat, agno Paſchali adjungebant etiam Chagigam, ut Paſcha comederetur uſque ad ſaturitatem. Jam verò Chagigah diei iſtius primi feſti, non erat niſi*

*niſi è pecoribus communibus; Chagigah verò dici decimi quarti, potuit eſſe etiam de decimis.*

Majus erat offerre de pecoribus communibus, [ vel *cholin* ] quàm de decimis aut primogeniis; nam iſta jure debebantur Domino; at offerre *Cholin*, ulterioris erat devotionis & ſpontaneitatis.

Illud ergo quod dicit *Johannes*, *Quòd Judæi noluerunt introire in Prætorium, nè polluerentur, ſed ut comederent Paſcha*, de *Chagigah* iſta, diei decimi quinti, eſt intelligendum, non de agno Paſchali: Nam & hæc etiam *Paſcha* vocatur, *Deut.* xvi.2. *Immolabis Paſcha Domino Deo tuo, ex ovibus & bobus: Ex ovibus*, hoc quidem ex præcepto, *Exod.*xii.3. at quid cum bobus? *E bobus* inquit *R.Sol. pro Chagigah.* Et *Ab. Ezr. ex ovibus ſecundùm officium Paſchatis, è bobus pro Sacrificiis pacificis*: & adducit illud ii *Paral.*xxx.24. & xxxv.8. Targ. Jonath. *Mactabitis Paſcha coram Domino Deo veſtro, inter veſperas & oves & boves craſtino die, in ipſo die iſto, in gaudium feſti.*

Occurrit in gloſſatore uno ad *Chagig.* fol.17.2. mentio תּ פסח קטן *Paſchatis minoris*; per quod ſi non intelligat *Paſcha* menſis ſecundi, quod uſitatiſſimè ab iis vocatur פסח שני *Paſcha ſecundum*, vel ſecundi, edoce me quid per illud velit. Utcunque res hæc ſe habeat, clarè apud *Moſen*, boves vel Sacrificia poſt comeſum agnum oblata, vocantur etiam *Paſcha* æquè ac ipſe agnus.

Nec mirum, cùm agnus, fuerit vel minima pars feſtivitatis, ſupereſsèntque poſt eum comeſum ſeptem dies feſti: forètque agnus res, memoriam afflictionis potiùs refricans, quàm lætitiam & feſtivationem denotans. Nam panis Azymus ipſiſſima iſta notione inſignitur à Sacra Pagina, ſic & herbæ amaræ, agni appendices. At quantùm ſolennitatis feſti, attribuatur, *Chagigæ* reliquiſque poſtea ſacrificiis, nimiùm foret memorare, cùm ubique occurrat.

Audi authorem *Aruch* de *Chagigah* Pentecoſtes. Vox חג *tripu-*

*tripudiationem denotat & plausum præ gaudio. Lingua Syriaca* חיגא: *Et sic in Scriptura* יחוגו וינוע כשיכור [Psa. cvii. 27. versio interlin. *In orbem iverunt, & moverunt se sicut ebrius.*] *Atque ab hac radice est quòd edunt & bibunt, & tripudiant,* vel feriantur. *Et sacrificium Chagigæ ad quod adducendum tenebantur die festo, illud est de quo Scriptura:* ועשית חג שבועות *Et facies solennitatem hebdomadarum Domino Deo tuo, spontaneam oblationem manûs tuæ,* &c. *Deut.*xvi.10.

Et jam dicas mihi; unde denominationem suam recepit, istud festum ut diceretur חג *Festum* hebdomadarum? Non ab oblatis panibus primitiarum, sed à *Chagiga*, & festivatione ex *Chagiga.* Idem etiam dicendum de *festo* Paschatis. Ita ut nihil auribus Judæorum alienum diceret *Johannes*, cùm dixerit, *Non introierunt in Prætorium nè polluerentur, sed ut comederent Pascha,* in *Chagigam* digitum intendens, & non in agnum pridie quidem comestum.

In eundem sensum sonare posset vox *Pascha* in verbis etiam ejus istis Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη. Erat præparatio ad *Chagigam*, & non ad agnum. At suspicor ego aliquid ulteriùs posse intelligi, nempe eo die parari & cibum & animos ad festivitatem totius festi. Ita ut vox *Pascha* τὴν ἑορτὴν denotet, non hanc aut illam particularem appendicem ad ἑορτὴν: Holocausta quæ offerebantur in *Comparitione* כולה לגבוה *Tota cesserunt Deo,* ut verè dicunt magistri, & is qui obtulit, nè particulam quidem minimam ex iis secum reportavit: At sacrificia *Chagigæ* fuerintve boves, an oves, cesserunt plurima ex parte offerentibus, atque inde solennes & festivas convivationes instituerunt illi cum suis, dum morarentur Hierosolymis. Ita ut horum oblatio die primo festi, foret Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, & Παρασκευὴ Πεντηκοστῆς, & Παρασκευὴ τῆς Σκηνοπηγίας. Dies scilicet & modus præparandi victum in festivitatem festi insequentem. Eodem sensu erat παρασκευὴ Sabbati, præparatio victûs rerúmque necessariarum ad Sabbatum. De qua dicturi sumus ad *vers.*42.

Hiſce ita expeditis, accedamus jam ad ipſam horam.

*Paraſcene Paſchatis erat*, inquit Iohannes, *hora verò quaſi ſexta*, cùm Pilatus Chriſtum traderet crucifigendum, *Erat autem hora tertia* inquit Marcus, *& crucifixerunt eum.*

Diſputatur à Gemariſtis in *Bab. Peſachin.* fol. 11. 2. quouſque conſonare & congruere poſſunt teſtimonia duorum hominum, quorum alter dicit. Ego hoc vidi factum, horâ iſtâ; alter, Ego horâ aliâ: *Unus dicit horâ ſecundâ, alter dicit, tertiâ* עדותן קיימת *teſtimonium eorum conſiſtit. Unus dicit, horâ tertiâ; alter, quintâ* עדותן בטילה *Teſtimonium eorum eſt inane: Ut dicit* R. Meir: *at dicit* R. Judah, *Teſtimonium eorum conſiſtit: Si verò unus dicat horâ quintâ; alter, horâ ſeptimâ, teſtimonium eorum eſt inane, quia horâ quintâ Sol eſt in parte cæli Orientali, ſeptimâ, in occidentali.* Copiosè de hac re diſputant loco allegato, & de teſtimoniis verbis diſſentientibus, re tamen ipſa, quòd utrumque verum eſſe poſſit, concludunt, quòd falli poſſunt teſtantes in computatione horarum: quod de Evangeliſtis concludere impium foret & blaſphemum. At falli librarios in tranſcriptione, ſupponit non nemo, & corrigendam vult computationem *Johannis*, in ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ τρίτη; audacter nimis & quidem ſine ratione, Nam fieri ea quæ ipſam crucifixionem Salvatoris anteceſſerunt בתלת שעי קמייתא [ut Talmudicorum verbis utar, in *Sanhedr.* fol. 105. 2.] *in tribus primis diei horis*, nec credibile eſt, nec quidem poſſibile. Aliundè ergo petenda eſt Evangeliſtarum concordia.

I. Repetamus illud è Maimonide: *Synedrium magnum ſedit à Sacrificio jugi matutino, uſque ad juge ſacrificium Pomeridianum.* Iam verò cùm juge ſacrificium matutinum foret ad horam tertiam, non ante iſtam horam conſedit Synedrium. Caveas ergo qui verba *Johannis* ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, mutata velles in ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ τρίτη, nè ſolœciſmo grandi labores: Nam non potuit *Pilatus* Chriſtum tradere crucifigendum circiter horam tertiam, cùm non conſederit Synedrium ante horam tertiam, Chri-

Christúsque adhuc non fuerit traditus *Pilato*.

At obscurant hæc, inquies, verba *Marci* multò magìs: Nam si non conventum est à Synedrio Christum tradituro ante horam tertiam, nullo modo dixeris quòd crucifixerunt eum horâ tertiâ.

Duo hìc proponimus in enodationem rei.

Primum sumatur à die ipsa, & ab hora ipsa. Erat dies iste Παρασκευὴ τοῦ πάσχα, summæ solennitatis, & cùm oportuisset Sacerdotes & reliquos Patres Synedrii, ad horam tertiam in Templo affuisse, & *Chagigas* suas obtulisse præparatorias ad totam festivitatem septiduanam: at illi aliud hoc agunt: Observare licet, quòd non dicat, ὥρα ἦν τρίτη ὅτε: sed, ἐσταύρωσαν. Non, Hora erat tertia, cùm crucifigerent eum; sed, Hora erat tertia & crucifixerunt eum. Id est, cùm jam foret, præterieratque hora tertia, tamen non omiserunt crucifixionem ejus prosequi, cùm quidem aliàs ex more festi, & Religionis obligatione, occupatos eos esse oportuit. Hac interpretatione ego quidem contentus residerem, potiùs quàm textum Sacrum incusarem ut depravatum, vel emendatione mea depravarem magìs. At

Secundò, occurrit sensus etiam alius non contemnendus, si quid valet judicium nostrum, quem petimus à more apud Synedrium usitato, ast à quo jam deflexerunt.

*Sanhed.* fol. 46. 2. Agitur de reo ad suspendium damnato, quocum actum est hoc processu משהין אותו עד סמוך לשקיעת החמה: *Morantur usque dum appropinquet occasus solis*, וגומרין את דינו וממיתין אותו *Et tum finiunt judicium ejus, & morte mulctant.* Notà illud, non finiunt judicium ejus usque dum propè adsit occasus solis.

Rationem si quæras, generalior proferri potest, quæ respexit omnes ad mortem damnatos, & specialior quæ suspendendum.

1. Erat quæ vocatur à Talmudicis עינוי הדין *Afflictio judicii*, quâ Phrasiologiâ non intelligunt, Judicium non justum,

ſed cùm damnatus poſt finitum judicium, non ſtatim occideretur.

*Sanhedr.* fol. 35. 1. לנמרית לדיניה בשבתא וליקטליה בחר בשבא

*Si finias judicium ejus Sabbato* [ nota illud ] *& occidas eum primâ hebdomadæ,* נמצא אתה מענה את דינו *Tu afflig is ejus judicium.*

Gloſs: *Quamdiu non finitum eſt judicium ejus, non eſt afflictio judicii, quia unaquaque hora expectat, ut abſolvatur. At cum finitum eſt judicium, expectat mortem, &c.* Parùm igitur moræ interpoſuerunt inter finitum judicium & occiſionem.

II. Quoad ſuſpendendos משהין אותו את נמר דינו *Tardârunt finitionem judicii ejus, & non ſuſpenderunt eum manè, nè pigreſerent circa ejus ſepulturam, inciderentque in oblivionem* [ & peccarent contra legem [ *Deut.* xxi. 23. ] *Sed prope ad occaſum, ut citò eum ſepelirent.* Sic gloſſa. Non occiderunt eum citiùs, propter hanc rationem; non finierunt judicium ejus citiùs, propter rationem prædictam.

Et jam reſumamus verba *Marci.* Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.

Non ſolitum eſt Synedrium, judicium ſuſpendendi finire, uſque dum jam parati eſſent, è concilio & conſeſſu exurgere & diſcedere poſt *Mincham*, inclinante jam die ad occaſum; at *Jeſu* judicium finierunt hi, atque ad crucem accelerârunt, cùm primùm in conſeſſu convenerunt, ad horam tertiam, ad tempus ſacrificii jugis, quod maximè inſolitum & à more alienum.

VERS. 34. Ἐλωΐ Ἐλωΐ.

Apud *Matthæum* eſt אלי אלי ipſiſſimis Syllabis xxii. 1. *Marcus* ſecundùm præſentem Dialectum [ Chaldaicam ſcilicet ] pronunciatione utitur vocis אלהא aut ſaltem ſecundùm pronunciationem vocis אלהים Ἠλωΐ *Judic.* v. 5. in LXX.

VERS.

VERS. 42. παρασκευὴ, ὅ ἐστι, προσάββατον.

Quæras an quælibet dies Sabbatum antecedens vocaretur *Paraſcene*: Hebræis certè vulgariter eſt ערב השבת *veſpera* vel *veſperiæ Sabbati*. At detur; unde tandem vocata eſt *Paraſcene?* An quòd pararent ſe Sabbato? quin potiùs, quòd pararent edulia comedenda Sabbato, Idque ex lege *Die ſexto parabunt*, &c. *Quicquid pinſetis, pinſite hodie; & quicquid coquetis, coquite hodie, &c. Exod. xvi. 5, 23.*

Hinc illis vox uſitatiſſima hoc ſenſu הכנת i. e. *Præparatio.* *Maimon. in Jom. tobh.* cap. 1. חול מכין לשבת וחול מכין ליט *Dies non feſtus parat pro Sabbato, & dies non feſtus parat pro die feſto. At dies feſtus non parat pro Sabbato, nec Sabbatum parat pro die feſto.*

Gloſs. Ib. in cap. 6. *At rationes iſtæ non valent* לאסור הכנה *ad prohibendam præparationem dum adhuc multum diei ſupereſt:* הכנה παρασκευήν.

At dices, *Si dies feſtus non parat pro Sabbato*, Quod ait *Maimonides*, nequaquam quadrabit talis interpretatio verbis quæ jam tractamus, ut dicatur παρασκευὴ, ob parata eo die edulia in Sabbatum. Reſpondeant ipſi magiſtri.

*Bab. Jom. tobh.* fol. 15. 2. יום טוב שחל להיות ערב שבת *Die feſto qui incidit in veſperam Sabbati, ne coquat in initio, edulia à die feſto pro Sabbato, at coquat pro die feſto, & ſi quia ſuperſit, reſervetur in Sabbatum. Verùm* עושה תבשיל [ ad literam, *faciat coctile*, at ſenſus eſt ] *paret edulium à veſpera diei feſti, atque eo nitatur pro Sabbato. Schola Shammæana dicit* שני תבשילין *duplex edulium; Hilleliana dicit, unum edulium.*

Planiùs *Maimon. Jom. tobh.* cap. 6. *Die feſto qui coincidit cum veſperiis Sabbati, non pinſunt nec coquunt die feſto quod comedant Sabbato: Et prohibitio hæc eſt à verbis Scribarum: Ne ſcilicet quis coqueret die feſto pro non feſto: Nam hæc eſt argumentatio à majori ad minùs: Si non coquat pro Sabbato, multò minùs*

*minùs pro die profano: Si verò paret edulium veſperâ diei feſti, quo nitatur* [ שסומך עליו ] *tum ſi pinſat aut coquat die feſto pro Sabbato, permittitur: atque illud quo nititur vocatur* עירוב תבשילין *Commixtio edulii. Et quare vocatur* עירוב *Commixtio.* [ Συναναμιξις ] *Nempe prout commixtio iſta quam faciunt, de atriis aut veſtibulis, veſperâ Sabbati, eſt in recognitionem, ne ſcilicet opinentur, quòd licitum eſt aliquid tranſportare à loco in locum Sabbato, Sic hoc edulium, eſt in recognitionem & recordationem, ne ſcilicet opinentur & autument, quòd licitum eſt aliquid pinſere die feſto, quod non comedatur iſto die, idcirco edulium hoc vocatur* עירובי תבשילין *Commixtio eduliorum.*

De עירובי חצירות *Commixtione atriorum* dicimus ad 1 *Cor.* x. 16. Summa rei hæc eſt, Habitârunt plures familiæ juxta unum commune atrium: Jam ergo, cùm non liceret quicquam Sabbato exportare מרשות לרשות à loco qui erat unius juris, vel conditionis, in locum qui alterius, ideóque non licuerit cuivis ex iſtis familiis aliquid efferre è domo ſua in atrium oſtio ſuo adjacens, & è contra; communionem & commixtionem juris inierunt omnes, idque per comeſtionem unâ, cibi ab omnibus ſimul collati, & tunc fuit licitum. Sic in cauſa hac de qua jam agitur. Cùm non liceret per canones Scribarum, quidquam edulii parare die feſto pro Sabbato, craſtinò inſequenti, cúmque ex neceſſitate parandum aliquid eſſet pro Sabbato, rigorem canonis ſic emollierunt, ut primò pararetur, die feſto aliquid edulii quod foret עירוב commixtio quaſi juris, & hoc jam parato nixi, quidvis parare poſſent in Sabbatum craſtinum.

De עירובי תבשילין occurrit mentio apud *Talmudicos* vicibus infinitis, & hæc quæ de iis dicta ſunt, non lucis parùm, & clauſulæ quam jam tractamus præbent, aliiſque ubi occurrit vox Παρασκευὴ, planioráque iſta faciunt quæ diximus de Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, quòd ſcilicet non denotet vel præparationem agni paſchalis, nec præparationem populi ad comedendum agnum,

Sed

Sed præparationem eduliorum comedendorum hebdomadæ Paschali: Nec hìc loci, si ad Sabbatum applicetur, aliud denotat quàm præparationem eduliorum in Sabbatum jam appropinquans. Ita ut dies iste quo crucifixus est Christus, duplex foret Παρασκευὴ, sensu duplici allato. Totus nempe dies, præsertim vero ab hora tertia erat Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα vel totius insequentis hebdomadæ, & vespera diei erat Παρασκευὴ Sabbati crastinò insequentis.

De Sabbato isto dicit *Johannes*, quod præterire non possumus, quod μεγάλη ἦν ἡμέρα ἐκείνου τοῦ Σαββάτου cap. xix. 31. nam erat dies Comparitiònis populi in templo, erat dies oblationis manipuli, & quæro ego, an ante istum diem *Chagigas* suas obtulissent persecutores Christi.?

VERS. 43. Εὐσχήμων βουλευτής.

Vulg. *Nobilis Decurio.* Erasm. *Honestus Senator.* Beza *Honoratus Senator.* Pro Lexico, hìc potest esse pagina Talmudica.

*Bab. Joma.* fol. 8. 2. *Num fuit conclave* פרהידרין Πρόεδροι? *Nonne conclave* בולוטי Βουλευτῶν? *Primò vocabatur* לשכת בולוטי *Conclave* Βουλευτῶν, *At cùm pontificatus emeretur pecuniâ annuatimque mutaretur* בפרהידרין הללו *sicut annuatim mutantur* Πρόεδροι *regis, exinde vocabatur* לשכת פרהידר *Conclave* Πρόεδρων.

Glos: בולוטי לשון שרים Βουλευταὶ *denotat principes.* Verè quidem atque hinc בולושיא ופנויא contradistinguuntur, *Nobiles & viles. Hieros. Schabb.* fol. 13. 3. At quare non intelligas Principes istos ac nobiles proprio sensu vocis Βουλευτὰ, id est Consiliarios? Nam quis non videt vocem esse Græcam? & sic *Aruch* לשון יון הוא *vox Græca est*:

Quod oculos nostros intentiùs figit in verba glossematis ad Gemaram loco allegato. *Ab initio, in diebus* Simeonis Justi, *qui diu admodum vixit, vocârunt illud* לשכת בולויטי *Conclave* Βουλευτῶν. Quid? Adeone vigere linguam Græcam *Hierosolymis* tem-

temporibus *Simeonis Justi*, ut vocaretur conclave in templo, nomine Græco? Si *Simeon* iste, ille fuerit, qui occurrit *Alexandro magno*, quod opinantur *Talmudici*. *Joma*. fol. 69. 1. tum patet aliqua ratio, sin minùs, quæras. Utcunque erat illud, Conclave Summi Pontificis, ut patet sæpius apud *Talmudicos*: non quòd illic semper habitaret, nec quòd semel in anno se illuc contulerit, sed quòd locus illuc fuerit, ubi sedens ille cum concilio Sacerdotali, de Liturgia publica rebúsque Templi consuleret. Hinc occurrit apud *Hierosolymitanos* mentio τῦ שמעון בילווטא *Simeonis* Βελευτῦ vel *Consiliarii*. Atque hoc sensu sumendum est illud, nisi hallucinemur, quòd apud *Babylonicos* occurrit semel iterúmque de בני כהנים הגדולים *Filiis Summi Pontificis*, de rebus variis determinantibus. Et בית דין של כהנים *Chetub*. cap. 1.

Hinc meritò opinamur *Josephum Arimathæanum* vocari Βελευτὴν, ideo quòd Sacerdos foret, éque consessu isto Sacerdotali. לשכת בולוטי פירוש חכמי עזרה *Conclave* Βελευτῶν *vocabatur*, inquit *Aruch*, *id est Consiliariorum*.

---

## CAP. XVI.

VERS. 1. Ἵνα ἐλθοῦσα ἀλείψωσιν αὐτόν.

*Hieros. Shabbath*. fol. 12. 1. *Quidnam est illud quod quoad viventem permittitur*, [ Sabbato ] *quoad mortuum verò non? Est unctio.*

VERS. 2. Καὶ λίαν πρωΐ, &c.

Distinctio diluculi apud Rabbinos hæc erat.

I. איילתא דשחרא *Cerva auroræ*. Prima lucis apparitio.

*Hieros. Berach*. fol. 2. 3. R. Chaia Rabba, & R. Simeon ben

*ben* Chalaphta *itinerantes ſimul, manè quodam in valle Arbelis viderunt Cervam Auroræ, quod lux ejus diffunderet æthera. Dixit* R. Chaiia, *Talis futura eſt Redemptio Iſraelis. Primò gradatim & minutim procedit, at quò magìs procedet, eò magìs augebitur.*

Tunc temporis erat cùm Chriſtus reſurgeret, primâ ſcilicet aurorâ, ut colligi poteſt ex verbis *Matthæi*: & huc reſpicere videtur titulus *Pſalmi* vigeſimi ſecundi על איילת השחר. Vid. & *Apoc.* xxii. 16. Et jam tum prodiiſſe fœminas opineris ex ædibus ſuis, versùs ſepulchrum.

II. משיכיר בין תכלת ללבן *Cùm diſtinguere quis poteſt inter colorem hyacinthinum & album.*

Berach. cap. 1. hal. 2. *A quo tempore recitant Phylactericas orationes manè? Ab eo tempore quo diſtinguere quis poteſt inter colorem hyacinthinum & album* R. Eliezer *dicit, Inter colorem hyacinthinum & praſinum.* Ante hoc tempus erat *Obſcurum adhuc cæptæ lucis*, ut Tacit. *hiſt. lib. 4. cap. 11.*

III. משיאור החמזרח *Cùm luceſcit Oriens.*

IV. בנץ החמה *Oriente Sole.*

*Hieroſ.* ubi antè. *A prodeunte Cerva Auroræ, uſque dum luceſcat Oriens, Et à quo luceſcit Oriens, uſque dum oriatur Sol*, &c.

Ad hos quatuor temporis articulos, non inconcinnè adoptaveris Phraſiologias quatuor Evangeliſtarum: Ad primum Τῇ ἐπαυριόν *Matthæi.* Ad ſecundum Πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης *Johannis.* Ad tertium Ὄρθρου βαθέως *Lucæ.* Ad quartum Λίαν πρωῒ, & tamen Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου, *Marci.*

Nam bis ad ſepulchrum à fœminis eſt itum, ut docet *Johannes*, per quem Evangeliſtæ reliqui ſunt explicandi: quâ re animadversâ, facillima eorum eſt reconciliatio.

VERS. 13. καὶ ἐκείνοις ἀπίστουν.

Agi commatibus immediatè præcedentibus de duobus *Emmaunta* proficiſcentibus, eſt extra omnem controverſiam: Et tum quomodo hæc conſiſtunt cum narratione iſta apud *Lucam*? qui dicit, quòd *duo iſti Hieroſolymam redeuntes, invenerint undecim congregatos, & eos qui cum ipſis erant, qui dicebant, Reſurrexit verè Dominus, et apparuit Simoni*, Luc. xxiv. 23, 34. Vox λέγοντας, planè verba iſta facit eſſe τῶν συνῆχθαι, et eorum qui cum ipſis erant congregati: quod lectis verſionibus vix ſuſpiceris. Nam voce iſtâ à *Syro* reddita כר אמרין ab *Arab.* והם יקולין A Vulg. *Dicentes*. Ab Ital. *Dicendo*. A Gallic. *Diſans*. Ab Angl. *Saying*. Quiſnam quæſo alio ſenſu eam reciperet, quàm quòd duo iſti qui ab *Emmaunte* redierunt, dicerent *verè reſurrexit Dominus*, &c. At in fonte Græco cùm ſit casûs accuſativi, planè referenda eſt ad undecim Diſcipulos, et eos qui cum illis erant unà. Ac ſi illi de apparitione facta *Petro* inter ſe colloquerentur vel antè, vel jam in ipſo acceſſu duorum iſtorum ab *Emmaunte*. Et tamen dicit Evangeliſta hic noſter, quòd cùm duo iſti rem totam enuntiâſſent, illi nec ipſis crediderunt. Ita ut ſecundùm *Lucam* crediderint Chriſtum reſurrexiſſe, et apparuiſſe *Simoni*, ante relatam eorum hiſtoriam, at ſecundùm *Marcum*, non, etiam iſtâ relatâ.

Reconciliatio ergò Evangeliſtarum eſt hinc petenda, quòd verba iſta ab undecim prolata Ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, &c. non abſolutam exhibeant reſurrectionis Chriſti confeſsionem, ſed conjecturalem ſubitanei et inexpectati reditûs *Petri* rationem.

Perrecturum credo *Petrum* cum *Cleopha* in *Galilæam*, ídque excitatum verbis Chriſti à fœminis ei nuntiatis, *Dicite Diſcipulis et Petro, Præcedo ego in Galilæam*. Cogita tecum quàm pendulus hæreret *Petrus*, atque intra ſe fluctuans, poſt triplicatam ejus abnegationem, quámque anhelet ut Dominum, ſi reſurrexerit, videat iterum, atque ei ſe humilem ſupplicémque ad pedes

des provolvat. Cùm ergò hæc audiret à fœminis [audierátque quidem à Christo ipso, dum adhuc foret in vivis, quòd resurgens, eos ille præcederet in *Galilæam*] cúmque reliqui minimè adhuc famâ de resurrectione ejus forent moti, nec adhuc è loco isto se moverent, experietur ille iter in *Galilæam* et cum eo *Alpheus*. Quod cum reliquis bene notum foret, eum autem jam tam citò, támque inexpectatò redeuntem viderent, Certè, inquiunt, resurrexit Dominus et apparuit *Petro*, is aliter non tam subitò rediísset. Et tamen cùm rem totam, is *Cleopásque* pandunt, nè illis quidem adhuc credunt.

VERS. 15. Πάσῃ τῇ κτίσει.

לכל הבריות Phrasiologia Judæis tritissima, per quam

I. Omnes homines denotantur.

*Bab. Chetub.* fol. 17. 1. *Dicunt Sapientes:* Sit *semper animus hominis*, מעורבת עם הבריות *commixtus* vel complacens *creaturis*. Gloss. *ut faciat cum unoquoque homine ad complacentiam. Midr. Till.* in *Psal.* 135. משרה רוח קדש על הבריות *Habitare facit Sp. sanctum super creaturas.* i. e. super homines.

*Maimon. in* Sanhedr. cap. 2. *In unoquoque Judice in consessu triumvirali requiritur prudentia, clementia, religio, odium pecuniæ, amor veritatis* ואהבת הבריות *atque amor creaturarum*, i. e. φιλανθρωπία.

II. Præcipuè verò intelliguntur Gentiles.

*Bab. chagig.* fol. 12. 2. *R. Jose* dicit אוי להם לבריות, *Væ creaturis quæ vident & non nôrunt quid vident: quæ stant & non nôrunt super quid stant: nempe super quidnam stet terra*, &c. Ethnicos intelligit præcipuè, qui non edocti fuerant de rerum creatione.

*Berish. Rabba. sect.* 13. שיחתן של בריות *Sermo omnium Creaturarum* [i. e. Ethnicorum] *est solùm de rebus terrenis* וכל תפלתן של בריות *Atque omnes orationes Creaturarum sunt pro rebus terrenis, Domine fertilis sit terra, prosperetur terra. At omnes ora-*

*tiones Iſraelitarum ſunt ſolùm pro loco ſancto, Domine ædificetur templum*, &c.

Adverte ut בריות *Creaturæ*, opponantur *Iſraelitis*.

Et hunc ſenſum Phraſiologiæ Πάσῃ κτίσει hoc in loco probant ſatis verba *Matthæi* parallela *cap.* xxviii. ubi quod apud *Marcum* eſt Κηρύξατε πάσῃ τῇ κτίσει, apud eum eſt, Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. ut & ea *Pauli, Coloſſ.* i. 23. Εὐαγγελίου τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει.

Eodem ſenſu eandem Phraſin intelligas neceſſe eſt, *Rom.* viii. 22. ubi ſi totam iſtam periocham accipias de Gentilibus anhelantibus ad libertatem filiorum Dei Evangelicam, facillimum reddis ſenſum, & ad mentem Apoſtoli, & ad ſignificationem vocis κτίσις accommodatiſſimam. Cùm qui aliter reddunt, in ſenſum neſcio quem impingunt, aſperum & nodoſum. Liceat, ſit licèt extra oleas, totam iſtam Periochen ſic ἀναφράζειν.

Vers. 19. Ἡ γὰρ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως, &c. *Nam intenta expectatio Creaturæ*, vel Mundi Ethnici, *revelationem filiorum Dei præſtolatur.* Promiſerat enim Deus, & ſæpiſsimè per Prophetas pronunciaverat, innumeros ſe filios inter Gentiles ſibi congregaturum atque adoptaturum: Revelationem itaque, ac productionem iſtorum filiorum, avidè jam expectat totus *mundus Gentilitius.*

Vers. 20. Τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη, &c. *Nam vanitati* [ mentis ſuæ ] *ſubjectus eſt totus mundus Ethnicus.* [ Ut *Rom.* I. 21. Ἐμωράνθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Et *Epheſ.* i. 17. Ἔθνη περιπατεῖ ἐν ματαιότητι τοῦ νοὸς αὐτῶν ] *non volens ſed propter eum qui ſubjecit eum.*

Vers. 21. *Sub ſpe, quia & creatura* [ vel mundus iſte Ethnicus ] *liberabitur à ſervitute corruptionis* [ peccaminoſæ quæ eſt in mundo per concupiſcentiam, ii. *Pet.* I. 4. ] *in libertatem filiorum Dei* Evangelicam. A ſervitute Satanæ Idolorum & libidinum in libertatem quâ fruuntur filii Dei per Evangelium.

Vers.

Vers. 22. Οἴδαμεν γὰρ ὅτι πᾶσα ἡ κτίσις, &c. *Scimus enim quòd tota Creatura* [ vel Mundus Ethnicus ] unà ſuſpirat, et parturit, et quaſi convexo pondere nutat ad hoc uſq; tempus ut enaſcatur et proveniat.

Vers. 23. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ, &c. Neque Gentes ſolùm, ſed et nos Judæi [ utcunque è gente, Ethnicis invidâ ] quibus primitias Spiritûs largitus eſt Deus, apud nos eorum causâ ſuſpiramus, adoptionem, id eſt redemptionem corporis noſtri myſtici expectantes, cujus maximam partem conſtituent *Gentiles*.

---

*FINIS.*

---

## LECTORI S.

SAt ſphalmatum meorum in hoc libellò, at implorandus eſt Lectoris candor etiam pro alienis. Irrepſit neſcio qui Periocha in pag. 18. Annot. in S. *Marc.* ab iſtis verbis *Hinc dies iſtius Judicii*, ad illa, *ut torſerint Interpretes*, &c. nullo quidem ſenſu, nec ullâ omnino culpâ meâ: Diſpoſueram ego eam ad pag. 32, poſt verba iſta, *Incredulam nequiſſimámque Judæorum*, aſt ortus eſt, ut videtur, error typographo, ex chartis diſſutis, quem mihi obſecro nè aſcribas. Nec impolitiſſimam tabellarum ſciographicarum exarationem mihi aſcribas, ſed fortunæ meæ cui non adfuit artifex artificioſior. Sitûs locorum in iis non pœnitet, pudet ſculpturæ. Reliqua præli

### *Errata ſic corrige.*

IN Dec. Chorograph. Pag. 1. l. 9. lege *præter ea*. l. 11. *audire*. p. 4. l. 23. *Damiatenos*. & 30. *Anpak*. p. 5. l. 3. *Delubrum*. p. 7. l. 6. *parva*. p. 9. l. 3. *Primæ*. p. 10. l. 7. *Emmaunie*. p. 16. l. 22. Joſ. XXI. 11. p. 18. l. 28. Deut. 26. p. 19. l. 12. *Cuivis oculo eſt conſpicuum*, redundat. p. 20. l. 11. lege *referant Gemariſtæ*. p. 28. l. 30. *quid fueris*. p. 29. l. 8. *reſtaurarent*. & l. 20. *Cryſoporticum*. p. 35. l. 20. *oſtende*. p. 43. l. 22. pro *ubi nominatum eſt*, lege *binomium eſt*. p. 44. l. 18. *eodem*. p. 45. l. 16. *arbitramur*. & l. 19. pro 46. lege 48. p. 57. l. 29. *obſcurè*. p. 66. l. 11. pro *dictæ* lege *dietæ*. p. 69. l. 2. *Sic ille*. & l. 21. pro *ſic* lege *ſi*. & l. 28. leg. *& v. minut*. p. 71. l. 10. pro *eum* leg. *eam*. & l. 27. *Dioſpoli*. ſic p. 72. l. 10. p. 76. l. 11. *Flavia*. p. 78. l. 8. pro *integra: latum*, lege *intercalatum*. p. 79. l. 1. *At*. p. 81. l. 17. *ejus*. p. 82. l. 17. Hebræ. p. 89. l. 9. pro *Eſai* XXV. legh XXVI.

In Annot. in S. *Marc.* Pag. 2. l. 29. *veteribus*. p. 7. l. 27. *chaſda*. p. 18. l. 25. occultetur. p. 20. l. 1. *eum*. p. 31. l. 21. *aliquid*. p. 40. l. 11. *In Eſai*. p. 41. l. 15. אזהרה p. 44. l. 7. *calce*. l. 22. *cur opus*. l. 27. *reditum*. p. 48. lin. 7. שמע p. 50. l. 7. cognoſce. p. 80. l. 28. leg. *Pſal*. XXII. 1. pag. 83. l. 24. בולוטיא p. 84. l. 7. pro *illuc* leg. *ille*.